DE EPICURO

NOVÆ RELIGIONIS AUCTORE

SIVE

DE DIIS QUID SENSERIT EPICURUS

DISQUISIVIT

ET APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTAVIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

FRANCISCUS PICAVET

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

PHILOSOPHIÆ AGGREGATUS

PARISIIS

APUD FÉLIX ALCAN, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

MDCCCLXXXVIII

DE EPICURO

NOVÆ RELIGIONIS AUCTORE

Autres ouvrages de M. Picavet

Bibliographie de l'agrégation de philosophie en 1885, 1886, 1887, 1888 (Paul Dupont).

CONDILLAC. — **Traité des sensations,** 1re partie avec des notes historiques et explicatives, une introduction et des éclaircissements. 1 vol. in-12, 1886 (Delagrave).

CICÉRON. — **De Naturâ Deorum,** livre II, avec des notes philologiques, grammaticales, historiques, philosophiques et une introd. 1 vol. in-12, 1887 (Félix Alcan).

Instruction morale et civique ou philosophie pratique, psychologie, logique, morale pratique, économie politique, morale théorique, instruction civique. 1 vol. in-18 jésus, 1888 (A. Colin).

L'Histoire de la philosophie, ce qu'elle a été, ce qu'elle peut être (*Extrait des comptes-rendus de l'Académie des sciences morales et politiques*) (Félix Alcan, 1888).

Critique de la Raison pratique par Kant, nouvelle traduction française avec un avant-propos sur la philosophie de Kant en France de 1773 à 1814, des notes philologiques et philosophiques, 1 vol. in-8° (Félix Alcan, 1888).

Un document important pour l'histoire du Pyrrhonisme (*Extrait des comptes-rendus de l'Académie des sciences morales et politiques*).

DE EPICURO

NOVÆ RELIGIONIS AUCTORE

SIVE

DE DIIS QUID SENSERIT EPICURUS

DISQUISIVIT

ET APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTAVIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

FRANCISCUS PICAVET

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

PHILOSOPHIÆ AGGREGATUS

PARISIIS

APUD FÉLIX ALCAN, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

MDCCCLXXXVIII

OPERUM INDEX

QUÆ IN HAC DISSERTATIONE CONFICIENDA NOBIS PRÆSERTIM PROFUERUNT

MULLACH, *Fragmenta philosophorum græcorum*, vol. I, 1860; vol. II, 1867 (Didot).

PLATONIS, ARISTOTELIS, CICERONIS, SENECÆ, ATHENÆI, SEXTI EMPIRICI, DIOGENIS LAERTII, GASSENDI *Opera*.

Herculanensium voluminum quæ supersunt, tom. II, 1809 ; tom. X, 1850 ; collectio altera, tom. XI.

PETERSEN, *Phædri Epicurei, vulgo Anonymi Herculanensis, de Natura Deorum fragmentum*, Hamburgi, 1833.

GOMPERZ, *Herculanische Studien*, p. II, 1866, PHILODEMI περὶ εὐσεβείας.

T. LUCRETI CARI, *De rerum Natura* libri sex, with notes by H. A. J. Munro, second edition revised throughout and enlarged, Cambridge, 1866.

PATIN, *Études sur la Poésie latine*, vol. I, Paris, 1869.

C. MARTHA, *Le Poème de Lucrèce*, morale, religion, science, 1869.

LUCRÈCE, *De la Nature*, traduction nouvelle avec un texte revu d'après les travaux les plus récents par L. Crouslé, 1871.

J. WOLTJER, *Lucretii philosophia cum fontibus comparata*, Groningæ, 1877.

LUCRÈCE, *De la Nature des choses*, V^{e} livre, analyse littéraire par M. Patin, texte latin par MM. E. Benoist et Lantoine, 1884.

MAYOR, *Ciceronis de Natura Deorum*, vol. I, 1880.

DIELS, *Doxographi græci*, 1879.

H. Ritter, *Geschichte der Philosophie* (trad. franç.), vol. III.

Grote, *History of Greece* (trad. franç.), vol. XII, 17.

Ueberweg, *Grundriss der Geschichte der Philosophie des Alterthums.*

E. Zeller, *Die Philosophie der Griechen*, præsertim vol. III, 1.

Lange, *Geschichte des Materialismus* (trad. franç.), vol. I.

Permulta alia opera evolvimus quæ nobis usui fuerunt, ea quidem interdum indicavimus quum nobis profuerunt (Cf. p. 21, 24, 38, 41, 59, etc.).

Pauca autem non nobis in promptu fuerunt quæ de natura Deorum indicat Ueberweg : Joh. Fausti, Argent. 1685; J. H. Kronmayer, Jen. 1713; J. A. F. Bielke, Jen. 1741 ; Chr. Meiners, *verm. ph. Schrif.* Leip. 1775-1776, II, p. 45; Schœmann, Schediasma de Epicuri *theologia*, ind. schol. Greifswald, 1864. — Unus [1] ex nostris amicis ea opera, in bibliothecis Lipsiæ et Heidelbergæ frustra quæsivit. Schwarzi tamen *Judicium de recondita Theologia Epicuri* (Coburgi, 1771) invenire potuit quæque de hac re sensit Schwarz in breve nobis coegit (ch. vi).

[1] Bourdon, philosophiæ aggregatus.

DE EPICURO

NOVÆ RELIGIONIS AUCTORE

PROŒMIUM

> Il semble qu'Epicure ait eu le dessein prémédité de fonder une sorte de religion... ; ce n'est pas une simple école, c'est une Eglise profane avec des dogmes indiscutables.
>
> La théologie est le cœur du système...
>
> Epicure fit de la vie divine comme un idéal de la vie humaine.
>
> (C. MARTHA, *Le Poème de Lucrèce.*)

> Epicure fut le fondateur et le dieu d'une sorte de religion nouvelle... Les disciples d'Epicure formaient, en réalité, une petite Eglise...
>
> (L. CROUSLÉ, *Lucrèce*, de la Nature.)

Quum olim primum de Natura Deorum librum cum eruditissimo magistro [1] explicaremus, quid de theologia Epicuri sentiendum sit sæpius quæsivimus : scripta quædam obscuriora vel nonnunquam inter se pugnantia reperiebamus. Quum opera quoque eorum qui rem amplexi sunt attente legeremus, quum Epicurum Deos alii sustulisse alii reliquisse æque asseverarent, quum denique nonnullis res sub judice adhuc esse videretur, magis atque magis incerti hærebamus.

[1] C. WADDINGTON.

Rem igitur altius inquirere atque explanare tentavimus. Quid valeat Epicuri theologia permulti perpendere enisi sunt; nobis autem eam perspicue exponere tantum in animo erat. Ergo omnia quæ ad Deos epicureos pertinebant, sive ea quæ ex Epicurei vel Epicureorum libris servata sunt, sive ea quæ apud antiquos reperire licet, diligenter collegimus. Quanta deinde fides unicuique ex scriptorum excerptis habenda sit ei qui Epicuri sententiam fideliter interpretari velit, accuratius perpendere studuimus. Priusquam ea fragmenta in ordinem redigeremus, quæ priores philosophi, quæ vulgus, Epicuro puero vel adolescente, de diis senserit, historia duce, quæsivimus; deinde quas inter priorum philosophorum opiniones potuerit cognoscere Epicurus statuere tentavimus.

Altero in opusculo [1] principia posuimus quæ scriptor historiæ philosophicæ, ut vere historicus maneat, sequi debeat, eaque, quantum ad nos fuit, secuti sumus.

Deinde, locis quæ collegimus freti, theologiam Epicuri quod ad ea pertinet quæ affirmat aut negat, explicavimus. Denique ad quæstionem quæ nobis curæ primum fuit accessimus. Epicurum non Deos sprevisse, plurimis rationibus allatis, sensimus; illum contra potius novæ religionis quam doctrinæ philosophicæ auctorem ponendum credidimus.

Sine ira et studio omnia quæ ad theologiam Epicuri spectant penitus introspeximus; quo facto, ea reperimus quæ simul ad philosophiæ religionumque historiam [2] pertineant.

[1] *L'Histoire de la Philosophie, ce qu'elle a été, ce qu'elle peut être.* Félix Alcan, 1888. (Extrait du Compte rendu des séances et travaux de l'Acad. des Sciences mor. et polit.)

[2] E. Lavisse, *Questions d'enseignement national*, 254. « L'université de l'avenir étudiera toutes les religions, les mortes et les vivantes, comme de nobles phénomènes par lesquels se manifeste la vie de l'humanité.... L'étude des religions fait partie de l'histoire et de la philosophie. »

PRIMA PARS

DE THEOLOGIÆ EPICURI FONTIBUS

CAPUT I

I. EPICURI OPERA AD DEOS PERTINENTIA QUÆ ADHUC EXSTENT. — II. QUÆ IN EPICUREORUM OPERIBUS EPICURI PROPRIA DICI POSSINT. — III. EPICUREORUM OPERA DE DIIS SERVATA. — IV. CETERORUM PHILOSOPHORUM VEL ERUDITORUM SCRIPTA ALIQUID DE EPICURI DIIS NOBIS PRÆSTANTIA.

Nobis opus nostrum aggredientibus, quos libros ad theologiam Epicuri restituendam evolvere conveniat, breviter exponere necesse est. Ordine igitur quæremus :

1° Quæ hodie exstent ex Epicuri libris qui ad deos pertinerent ;

2° Quæ summatim in Epicureorum operibus Epicuri propria sint ;

3° Qui etiam inter Epicureos de diis scripserint eorumque operum quæ supersint et singulorum sententiæ quatenus magistri doctrinam exprimant ;

4° Qui tandem inter antiquos, Epicuro ipsi non addicti, prorsus vel ex parte theologiam epicuream tractavissent, quæque fides unicuique eorum adhibenda sit.

I

Epicurus libros composuerat *de diis*, *de sanctitate*, *de pietate* [1], plurimaque ejus scriptorum eam quæstionem attingebant quam ipse permagni, ut postea nobis occurret, existimabat. Epistolam ad Herodotum scripserat quæ libros suos de natura in breve cogeret : « Iis qui nequeunt, o Herodote, singula quæ a nobis de natura scripta sunt accuratius exquirere neque majores a nobis compositos libros perscrutari, his ego compendium totius operis feci » (D. L., x, 35), Diogenesque non semel opera indicat quæ noster in hac epistola collegerat, quum (39), hoc « οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος » exposito, μεγάλη ἐπιτομή et πρώτη περὶ τῆς φύσεως citantur, quas cum τεσσαρεσκαιδεκάτη et πεντεκαιδεκάτη περὶ φύσεως denuo dicit (40); memorat etiam (44) τὰς δώδεκα στοιχειώσεις, quosdam alios libros (ἐν ἄλλοις 66), τὴν δευτέραν περὶ φύσεως atque tertio τὴν μεγάλην ἐπιτομήν (73).

Epistola autem *de meteoris* ad Pythoclem priorem explet : Ea igitur, ait, recte percipe mandataque memoriæ acriter revolve cum ceteris quæ in brevi epitome ad Herodotum misimus (D. L., 85). Diogenesque τὴν ἑνδεκάτην (91) et τὴν δυωδεκάτην [2] (96) περὶ τῆς φύσεως atque summatim τὰ βιβλία περὶ φύσεως (91) profert.

In prima autem epistola de diis agitur quum Epicurus negat meteora ceteraque a divino numine facta : « In meteoris, ait, motum et conversionem ac defectum ortumque et occasum et his similia neque ministerio cujuspiam fieri existimandum est et ordinatione sive imperio, qui omnem simul beatitudinem et

[1] Περὶ Θεῶν, D. L., x, 27, Philod. (Gomperz), p. 122, 123, 128, 133, 137 ; περὶ Θεῶν καὶ θειότητος, Plutarch., *n. p. suav. viv.*, 21, 11 ; περὶ ὁσιότητος, D. L., x, 27, Philod. (Gomp.), 113, 122, Cicér. *de N. D.*, I, 115 ; περὶ εὐσεβείας, Cicér., *loc. cit.*, et Philod. *ibid.*

[2] Cf. Philod. περὶ εὐσεβείας, 112 et 113.

immortalitatem habeat » (D. L., x, 76). Quæ deinde deos vetent se talibus immiscere exponit Epicurus : « Neque enim, inquit, beatitati conveniunt negotia et curæ et iræ et gratiæ, sed infirmitate ac timore et indigentia proximorum ista fiunt, neque rursus ignea quædam contorta, eam beatitudinem consecuta secundum voluntatem hos motus accipere, etc. » (D. L., x, 77).

In secunda etiam, Epicurus quietem et felicitatem deorum servandam monet : « divina, ait, ad hæc natura nusquam admoveatur, sed immunis a ministerio et in omni sua beatitate servetur » (97). Eosque deinde increpat qui inaniter quorumdam causas reddunt, quando quidem divinam naturam nequaquam absolvant ministeriis (113) ; negatque tandem aliquam naturam divinam sedere quæ horum animalium observet exitus ac deinde hujusmodi efficiat signa (115).

Ex epistolis igitur probabiliter confici potest Epicurum in libris qui naturales tractabant quæstiones, theologiam sæpius attigisse. Probabiliter videtur ex iis locis[1] philosophus, ut postea Lucretius, eo spectasse ut causis naturalibus, nulloque deorum numine adhibito, omnia phænomena explicaret.

De diis autem non solum agitur in epistolis quæ physica et meteora explicant, sed etiam eorum initium ducit quæ ad Menœceum de re ethica scripsit ad summam philosophiæ complendam, ab essentia deorum definienda : « Primum quidem, ait, deum esse animal immortale ac beatum putans, sicut communis de deo dictat intelligentia, nihil illi aut ab immortalitate alienum aut a beatitudine applica, etc. (123). Homo deinde nulli secundus is est qui et pie de diis opinatur (133) ; satius est, vel fabulam quæ de diis traditur sequi quam physicorum servire fato : illa enim spem veniæ ostendit cultu deorum, hæc inevitabilem necessitatem habet (134). Qui hæc atque his similia secum ipse meditatur die noctuque... quasi deus inter homines vivet ; nihil enim similis est mortali animanti vivens homo in immortalibus bonis » (135).

[1] PHILODEM., 124, τὸν τρεισκαιδεκάτον περὶ φύσεως.

Deinde in aliis sicuti et in τῇ μικρᾷ ἐπιτομῇ divinationem omnem tollit : « divinatio, inquit, non subsistit ; sin autem subsistit, nihil ad nos existimes pertinere quæ fiunt » (135).

Denique e ratis sententiis prima ad deos spectat, Diogenesque nos docet Epicurum duo deorum genera statuisse : in aliis vero ait deos ratione perspici, alios quidem numero subsistentes, alios vero secundum speciei similitudinem, ex perpetua similium simulacrorum affluentia, quæ in id ipsum perfecta sint humana specie (139).

Quæ autem Epicuri opera ad deos adumbrandos adhiberentur, pro iis quæ usque ad nostram ætatem pervenerunt, nunc summatim nominare possumus. Exceptis quidem libris qui ad canonicam pertinebant [1], omnibus pæne in Epicuri operibus de diis agebatur. Quæ primum naturam explicabant : περὶ φύσεως ἑπτὰ καὶ τριάκοντα, περὶ ἀτόμων καὶ κενοῦ, Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικούς, epistolæque ad Herodotum et Pythoclem, μεγαλὴ ἐπιτομή, δώδεκα στοιχειώσεις probabiliter discipulos rationem docebant qua, omnibus quidem in vacuo atomis sponte agitatis nulloque deorum numine interposito, omnia quæ in Universo nobis apparent facta sunt : Dii enim materiam non crearunt, mundos ordine non disposuerunt, nulla tandem ex meteoris quæ mortalium animos afficiunt formidine in ullo tempore generarunt [2].

Epicurus etiam in iis libris qui ad rem moralem pertinebant, περὶ αἱρέσεων καὶ φυγῶν, περὶ τέλους, περὶ βίων, *Epistola ad Menœceum* quæ omnia moralia breviter exponebat, deos fingere debebat ut qui perfectissima exempla ad vitam beatam constituerint. Quos etiam nunquam se humanis intendere ducebat, nunquam hominibus iratos aut gratificatos, qui liberi suique compotes ætatem degunt.

In libro deinde περὶ θεῶν inscripto, Epicurus quo modo deos cognosceremus, quæ deos vere esse nobis demonstrarent, quæ

[1] Locus tamen ex Epistola ad Menœceum excerptus (124) quo inter ὑπολήψεις ψευδεῖς et προλήψεις discernit Epicurus, nobis suspicari non prohibet Epicurum in logicis non semel de diis dixisse.

[2] Quod in *Natura rerum* fecit Lucretius.

deorum esset natura evolvebat, populi poetarumque contra opiniones forteque philosophorum a se dissentientium invehebatur [1].

In libris περὶ ὁσιότητος et περὶ εὐσεβείας fortasse sententias in libro de diis jam expositas explicabat Epicurus saneque docebat ea quæ ad deos honorandos pertinent, quæ etiam homines facere debent ut, deos imitantes, quam maxime perfecti beatique fiant [2].

Fortasse in libro περὶ εἱμαρμένης [3] de diis agebat Epicurus qui, ut antea vidimus, opiniones populares physicorum necessitate potiores ducebat, eo quod fidentes precibus deorum gratiam consequi possent [4].

In sententiis denique ratis (κύριαι δόξαι), Epicurus omnia quæ de diis finxerat breviter contraxerat.

Quæ autem inter omnia opera hodie supersunt? Perierunt περὶ ἀτόμων καὶ κενοῦ, Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικούς, αἱ δώδεκα στοιχειώσεις, μεγαλὴ ἐπιτομή, περὶ αἱρέσεων καὶ φυγῶν, περὶ τέλους, περὶ βίων, περὶ θεῶν, περὶ ὁσιότητος, περὶ εὐσεβείας, περὶ εἱμαρμένης. Volumina quidem Herculanensia Epicuri quædam fragmenta continent (Vol. II, e secundo et undecimo περὶ φύσεως, separatim Orelli; vol. VI et XI, coll. alt. fas. I, quæ accurate ediderunt et auxerunt Gomperz *Sitzungsber. d. Wiener Akad.*, vol. LXXXIII, 1876, 87-98, Hermes, V, 386-395; Comparettique, *Revista di Filologia*, 1879, VII). Nobis autem ea fragmenta nihil ad deos Epicuri accuratius fingendos proferunt. Quæ ergo sola nobis restant sunt: Epistolæ ad Herodotum, ad Pythoclem et Menœceum, sententiæque ratæ a Diogene servatæ, quibus addere licebit quædam in decimo Diogenis libro, quum postea quid valeant diligenter expenderimus.

[1] Quod nobis librum PHILODEMI περὶ εὐσεβείας legentibus verisimile videtur.
[2] Cf. PHILODEMUM et CICERONEM (*N. D.*).
[3] A Diogene (28) et Philodemo (124) citato.
[4] Quod Diogenis opus legenti verisimile fit.

II

Nobis Epicureorum scripta examinare incipientibus quærendum est an aliquid, ut Stoïcorum nonnulli, ad magistri placita mutare aut addere tentaverint, vel omnia quæ scripserat Epicurus fideliter servare et explicare tantum sibi proposuerint.

Epicurus primum discipulos non semel monebat ut philosophiæ summam, ad ipsos præsertim compositam, in memoria haberent : « Eos qui jam satis in contemplatione universorum progressi sunt, dicit in epistola ad Herodotum, formas totius operis elementis quasi informatas oportet in memoria habere (D. L., x, 35) ; si... diligenter memoria hic sermo retineatur, alias dicit, etiamsi quis non ad omnia per partes pervestiganda se dederit, incomparabilem tamen eum opiner firmitatem atque constantiam ad ceteros homines adepturum (83). »

Epistola etiam ad Pythoclem memoria custodienda est : « Precaris, ait, ut tibi de meteoris brevem mittam epistolam explicatuque facilem tractatum quo facilius memoria teneas (84) ;... ea igitur, rursus ait, recte percipe mandataque memoriæ acriter revolve cum ceteris quæ in brevi Epitome ad Herodotum misimus (85). »

Non solum eos quibus epistolas mittebat, sua memoriter tenere jubebat, sed etiam, Diocle auctore, exercebat discipulos ut memoriter tenerent ipsius scripta, ἐγύμναζε τοὺς γνωρίμους καὶ διὰ μνήμης ἔχειν τὰ ἑαυτοῦ συγγράμματα (D. L., x, 12). Denique quum extremum traheret animum, amicos vehementer rogabat Epicurus ut ipsius decretorum memores essent, τῶν δογμάτων μεμνῆσθαι (16).

Omnes autem qui Epicuri placita quam minime collegerunt non tamen nesciunt qualem admirationem apud discipulos moveret magister : « Primus, ait Lucretius (III, 1), potuit e tenebris tantis tam clarum extollere lumen, solusque veritatem invenit ; eum ego arbitror unum, dicit Torquatus apud Cice-

ronem (*de fin.*, 1, 5), vidisse verum ; res occultas et penitus abditas, ait Velleius, non modo vidit animo, sed etiam sic tractat ut manu (*N. D.*, I, 49) ». Ipse solus naturæ arcana aperire potuit qui rerum inventor a Lucretio (III, 9), veritatis inventor a Torquato nominatus, omnibusque discipulis *liberator* habetur.

Epicurus autem in se ipsum, ut pæne deum, venerabilior jam fuit : « Mitte, scripsit ad aliquem ex discipulis, mihi ἀπαρχάς εἰς τὴν τοῦ ἱεροῦ σώματος θεραπείαν [1] ; sapientemque se et Metrodorum ipse nominavit (*de finib*, II, 3, 7). Neocles ejus frater, Plutarcho auctore, neminem Epicuro sapientiorem unquam fuisse neque esse dicebat, quod physice, Epicureorum more, explicabat : Νεοκλῆς δέ ὁ ἀδελφὸς εὐθύς ἐκ παίδων ἀποφαίνετο μηδένα σοφώτερον Ἐπικούρου γεγονέναι μηδ' εἶναι, ἡ δὲ μήτηρ ἀτόμους ἔσχεν ἐν αὐτῇ τοσαύτας, οἷαι συνελθοῦσαι σοφὸν ἂν ἐγέννησαν (Plut., *n. p. suav. v.* 18, 5). Metrodorus ejus amicus placita deo digna habet (Plut., *adv. Col.* 17-4). Colotes, unus ex Epicuri discipulis, aliquando magistrum ut Deum adorare voluit (17). Qui Epicuro vivente familiariter non usi sunt, non minus ingenium admirabantur : « Deus ille fuit » ait Lucretius qui manifestum reddere conatur, per mirabiliter inventa, eumdem digniorem quam Bacchum et Cererem esse ut deus habeatur. Torquatus etiam placita ejus *quasi delapsam cælo regulam* ducit (*de fin.*, I, 19) ; Velleius *cælestem* nominat Epicuri librum qui ad regulam judiciumque pertinet, Lucretiique instar, magistrum habet Deum : ea, ait, qui consultet quam inconsulte ac temere dicantur, venerari Epicurum et in eorum numero de quibus hæc quæstio est, habere debeat (*N. D.*, I, XVI). Discipuli igitur omnes magistri mandatorum memores semper fuisse videntur. Diem ejus natalem non solum ante quam mortuus esset agebant, sed etiam quoque mense diem vicesimum Epicuro Metrodoroque consecrabant. Epicurus etiam testamento discipulos jubebat eosdem dies feriatos semper habere, multique testes (Cic. *de finib.*, II, 31, 101 ; Plut.,

[1] Cf. Xénoph., Ἀπαγγέσθαι τοῖς θεοῖς.

n. p. suav. v. 4, 8 ; PLINIUS, *H. N.*, XXXV, 5 ; ATH., VII) nos certiores faciunt eos semper unum in locum se congregantes ad magistrum colendum cujus placita fideliter servabant. Qui etiam procul Athenis hortisque ab Epicuro relictis ætatem agebant eosdem dies festos habebant, sicut et Philodemus Epicureus, cujus non semel mentionem infra faciemus, qui ad Pisonem amicum et discipulum epigramma quidem jucundum misit ut secum Epicurum celebraret :

Αὔριον εἰς λιτήν σε καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
 Ἐξ ἐνάτης ἕλκει μουσοφίλης ἕταρος,
Εἰκάδα δειπνίζων ἐνιαύσιον. Εἴδ' ἀπολείψης
 Οὔθατα καὶ βρομίου χιογενῆ πρόποσιν,
Αλλ' ἑτάρους ὄψει παναληθέας, ἀλλ' ἐπακούσῃ
 Φαιήκων γαίης πουλὺ μελιχρότερα.
Ἢν δέ ποτε στρέψῃς καὶ ἐφ' ἡμέας ὄμματα, Πείσων,
 Ἄξομεν ἐκ λιτῆς εἰκάδα προτέρην.

Qui magistri memoriam tam fideliter servabant, ultima ejus præcepta custodire debuerunt, omnia placita ad verbum omnes ediscentes : *Quis enim vestrum*, ad Torquatum dicit Cicero (*de fin.*, II, 20), *non edidicit Epicuri κυρίας δόξας ? Scyro*, dicit ad Lucullum Cicero, *omnia meminit Epicuri dogmata* (*Ac. pr.*, II, 106). *Ista*, ad Velleium dicit Cotta (*N. D.*, I, 26), *a vobis quasi dictata redduntur*. Lucretius etiam discipulus interpresque Epicuri tantum haberi cupit :

Fixa pedum pono pressis vestigia signis. (III, 4)
Cujus ego ingressus vestigia dum rationes
Persequor. (V, 56).

Seneca autem Stoicos libere sponteque sentientes Epicureis per magistrum perpetuo jurantes opponit : « Non sumus sub rege, inquit : sibi quisque se vindicat, apud istos quidquid dicit Hermarchus, quidquid Metrodorus, ad unum [1] refertur » (Ep., 33, 4).

[1] De verbo *ad unum*, cf. ZELLER, III, 1, 379, n. 4, dies bedeutet wohl nicht : *es wird Einem zugeschrieben*, sondern *es will nichts anderes sein, als eine Wiedergabe und Erläuterung seiner Lehre.*

Omnia ergo proferunt Epicurei quæ magistri placita iterum exponunt, illustrant, explanant, nulla autem nova quærunt : *omnia*, addit Seneca, *quæ quisquam in illo contubernio locutus est, unius ductu et auspiciis dicta sunt.* Fortasse marmoreum caput, quod Epicuri et Metrodori una imaginem nobis præbet[1], interpretatio est eorum quæ discipulos magistrumque conjungerent.

Numenius apud Eusebium, Epicureos laudat ut qui magistri placita fidelissime servaverint, quod soli pariter fecissent Pythagorei : μηδ' αὐτοῖς εἰπεῖν πω ἐναντίον οὔτε ἀλλήλοις οὔτε Ἐπικούρῳ μηδὲν εἰς μηδέν, ὅτου καὶ μνησθῆναι ἄξιον, ἀλλ' ἔστιν αὐτοῖς παρανόμημα, μᾶλλον δὲ ἀσέβημα, καὶ κατέγνωσθαι τὸ καινοτομηθέν (*Præp. ev.* XIV, 5, 3).

Quarto denique post Christum sæculo Themistius (Orat. IV) declarat Epicuri doctrinam, sicut Solonis aut Lycurgi leges, discipulos omnes servasse.

In summa autem Epicurei, plus quam quævis alia schola, magistrum fideliter secuti sunt, qui nunquam hæresim susceperunt[2]. Nullus quidem, Epicuro excepto, nova in lucem edidit, sed omnes, magistri dogmata pæne ad litteram exponentes, per scripta adhuc hodie servata, nobis facultatem concedunt, libris tamen Epicuri perditis, theologiam epicuream satis accurate restituendi.

Ex iis ergo quæ jam retulimus consequitur nobis licere, salva quidem et integra fide historica, Epicuro quæ apud Epicureos reperiamus assignare. Convenit tamen quæ de diis e discipulis unusquisque senserit accuratius expendere.

[1] Quod videndum est in antiquorum Musæo Parisino, quod *Louvre* vocatur. Cf. MARTHA, *Le poème de Lucrèce*, 345.

[2] MARTHA, *op. cit.* (passim) : un enseignement qui ne change jamais... une école organisée comme une église avec des dogmes fixes... une doctrine... immuable. — ZELLER, III, 1, 378 : Keine andere Schule ...ist so unbedingt bei den Ausspruchen ihres Stifters stehen geblieben, wie die Epikureische.

III

Qui inter Epicureos de diis scripserint, quæque eorum opera aut operum fragmenta ad nos pervenerint, quidque etiam singula ea valeant ad theologiam Epicuri restituendam, nobis nunc in animo quærere est.

Primus quidem ex Epicuri discipulis, Metrodorus *pæne alter Epicurus,* ab ipso Epicuro sapiens nominatus (*de finib.*, II, 3, 7), librum περὶ θεῶν composuisse videtur (PHILOD. Gomp., 137), aliumque librum περὶ μεταβολῆς in eodem opere citatum (137), denique librum περὶ τῆς ἐπὶ σοφίαν πορείας (D L., x, 24), in quo perfectos beatissimosque deos, qui homini exempla præbent ad summum bonum consequendum, probabiliter introduxerat. Polyænum Epicuri magistrum et discipulum nominat Philodemus, qui ei tribuit libros περὶ τῆς φιλοσοφίας (98)[1] et πρὸς Ἀρίστωνα. Hermarchus autem qui, Epicuro mortuo, scholæ præfuit, auctor operis est περὶ τιμῆς θεῶν (PHIL , 101), qui fortasse in libro, ἐπιστολικὰ περὶ Ἐμπεδοκλέους εἴκοσι καὶ δύω, ea quæ referuntur apud Plutarchum (*de def. orac.*, 40), adversus Empedoclis demones admiserat[2].

Colotes Lampsacenus Epicurique familiaris ut Metrodorus, a Philodemo citatus (104), librum ediderat, hoc indice, ne vivi quidem posse secundum aliorum philosophorum decreta, eumque regi Ptolemæo dedicaverat. In eo autem libro quem confutat Plutarchus, Colotes, contra omnes philosophos qui niterentur de diis, nonnihil dixisse videtur (PLUT. *n. p. s. viv. s. Ep.*, *adv. Colot.* pass.). Quod quidem opus nobis non pervenit.

Amafinius, unus[3] ex primis qui Romæ de philosophia scrip-

[1] Cf. p. 49.

[2] BERNAYS, Theoph., *V. d. Frömmigkeit*, 14 ; ZELLER, 429 : macht es warscheinlich (BERNAYS).

[3] Ante secundi sæculi mediam partem vixit. Cf. ZELLER, III, 1, 372, n. 2. De Lucretio se *primum* Epicurum interpretantem præbente, vide MARTHA, *op. citat.* p. 355.

serunt, rerum naturam præsertim tractavisse videtur (CIC. *Ac.*, I, 25), theologiamque igitur, ut postea Lucretius, leviter attigisse.

Zeno Sidonius Apollodori *hortityranni* [1] discipulus (D. L., X, 25), qui Carneadem viderat, audierat, miratusque erat (*Acad.*, I, 42, 46) multa scripsit (D. 25). Ex schola autem eo tempore illustrissimus fuit qui princeps Epicureorum (N. D., I, 21, 59), acriculus senex, istorum (Epicureorum) acutissimus, a Cicerone ejus discipulo, dictus est. Cujus opera sane nobis auxilium tulissent, nam de diis non semel in iis agebatur. Philodemi enim liber περὶ παρρησίας (*vol. H.*, *5*) ex indice apparet e Zenonis operibus excerptus fuisse, ejusdemque alterius libri περὶ τῆς τῶν θεῶν εὐστοχουμένης διαγωγῆς, κατὰ Ζήνωνα, fragmenta in sexto (*Hercul.*) volumine reperiuntur. Nonnulli etiam Zenonem (recte an perperam postea perspiciemus), a Cicerone in libro de natura deorum pro duce assumptum, finxerunt. Hujus quoque æqualis Phædrus a Cicerone Romæ primo cognitus, deinde Athenis auditus (*79-78 ant. Chr.* : N. D., I, 33, 93; *Fin.*, I, 5, 16, V. 13; *Leg.*, I, 20, 53), theologiam agitabat. Cicero enim, eo tempore quo libros de natura deorum jamjam scripturus erat, Attico litteras faciebat ut libri Phædri περὶ θεῶν et περὶ Παλλάδος (XIII, 43) sibi mitterentur. Quorum primum reperisse compertum est, postquam Londini [2] volumen Herculanense editum fuerat, in quod fragmenta introduxerant quæ cum Ciceronis libris haud semel congruebant. Paulo posterior vixit Gadarensis Philodemus, poeta qui in Pisonis clientela fuit. Quem composuisse delicatissimos versus ad adulteria patroni canenda Cicero, adversus quidem Pisonem loquens, auctor est (*In Pis.*, 29). Illum poetam satis delicatum fuisse ostenditur et epigrammate a nobis jam relato et a Cicerone ipso qui Philodemum hominem non philosophiæ solum, sed etiam litteris, quod fere ceteros Epicureos neglegere dicunt (*In Pis.*, 70)

[1] Quem vide ne confundas cum alio Apollodoro qui χρονικά composuit a Diogene citata (13-14). Cf. V. EGGER, *De fontibus Diogenis Laertii* (71-73); ZELLER, *op. cit.*, 373, n. 2.

[2] Anno 1840.

deditum habet. Quem philosophum profert auctorem Torquatus apud Ciceronem (*de finib.*, II, 119); historiarum philosophicarum scriptorem eumdem fuisse ἐν τῷ δεκατῷ τῆς τῶν φιλοσόφων συντάξεως (x, 3) testatur Diogenes. Pisonis in domo plus sex et triginta Philodemi opera nuper reperta sunt, quorum nonnulla solum edita fuerunt (Zell., III, 1, 374, n. 2; Ueberweg, I, 241). Philodemus autem ex novis Epicureis plurima de diis scripsisse videtur. Fragmenta quædam ex Philodemo sextum Herculanense volumen continet ex opere περὶ τῆς τῶν θεῶν εὐστοχουμένης διαγωγῆς κατὰ Ζήνωνα, creduntque hodie illum libros περὶ εὐσεβείας composuisse, qui olim sub indice περὶ θεῶν editi, Phædro tribuerentur.

Quod opus primum anno MDCCCX Londini, περὶ θεῶν inscriptum sineque auctoris nomine, editum fuit (Hercul., Drummond et Walpole). Quidam autem homines eruditi [1], Phædro opus adscripserunt. Quod deinde Petersen (1833) separatim edidit, Phædroque expresse imputavit cum indice : *Phædri Epicurei, vulgo anonymi Herculanensis, de Natura Deorum.* Operis enim, aiebat, auctor est Phædrus eo quod Cicero Phædri Zenonisque discipulus alterutrum secuturus, Zenonem quidem fingeret æqualium contemptorem (I, 33), Phædrum autem laudaret plurisque faceret. Præterea quemadmodum rogabat Atticum (XIII, 8) ut sibi mitteret Panætii libros περὶ προνοίας quibus usus est in operibus de Natura deorum (II, 118) et de Divinatione, sic, ait Petersen, Atticum rogabat Cicero in litteris jam citatis, sibi mittere ad Epicureorum sententias fingendas Phædri libros περὶ θεῶν et περὶ Παλλάδος [2]. Anno tamen MDCCCLXII, secundum novæ seriei volumen Herculanense ediderunt cum fragmento antea pervulgato, quod minus imper-

[1] Mürr (1806), quum libros περὶ μουσικῆς Philodemi germanicam in linguam transferret. Hayter qui de Philodemo, fragmentis illis editis, primum cogitaverat, deinde vero, loco nimis exiguo ad nomen Philodemi reperto, opus Phædro tribuit.

[2] De illo indice ab editoribus Ciceronis sæpe non dato, vide Petersen et Mayor. Olleris, in thesi *de Phædro Epicureo sive de Romanis Epicuri sectatoribus circa Cæsaris tempora, Parisiis, 1841*, fragmenta et latinam versionem texto a Petersen junctam denuo exhibuit.

fectum dabant Philodemoque assignabant. Gomperz autem qui (1865) libros Philodemi περὶ σημείων καὶ σημειώσεων in vulgus emiserat doctissimo viro Littré dedicatos, posteriore anno (1866), libros ejusdem περὶ εὐσεβείας ad Johannem Stuart Mill edidit. Omnia quæ jam docti prodiderunt perpendit Gomperz qui, editis a Petersen fragmentis, terminatisque quum auctor theologiam Epicuri exponendam aggressurus videretur (καιρὸς ἂν εἴη τὸν περὶ τῆς εὐσεβείας λόγον τῆς κατ' Ἐπίκουρον αὐτὸν παραγράφειν) plurima e volumine supra dicto excerpta[1], emendataque junxit. Operis autem illius, cum aliis quæ manifeste sunt Philodemi operibus reperti, elocutio ceterorum ejus operum dicendi formæ similis, nos quam maxime certiores facit ejus auctorem fuisse Philodemum[2]. Attamen sive ea fragmenta Phædri, sive probabilius Philodemi sunt, Epicureæ scholæ certe propria sunt ideoque nonnulla ad deos epicureos fingendos præbebunt. Quæ etiam altera ex parte magis fortasse ad nostrum opus pertinent. Cicero enim in primo de natura Deorum libro Velleium inducit Epicureorum theologiam exponentem vulgique aut philosophorum sententias vituperantem. Omnes[3] autem hodie agnoscunt ex Cicerone perpauca in operibus quæ ad philosophiam attinent fuisse qui de ipso dicit: « ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt; verba tantum affero quibus abundo » (Att., xii, 52). Cui aliter loquenti (*Fin.*, i, 2, 3, 4, 6; de *off.*, 26) nemo hodie fidem adhibet. Tusculanarum quæstionum Heine et Zietschmann, librorum de divinatione Schiche et Hartfelder fontes quæsiverunt. In Academicis quidem, quæ dicunt Varro et Lucullus ex Antiocho, ceteraque e Clitomacho Philoneque ex-

[1] Petersen e 146 paginis (Gomperz) 12 paginas implet.

[2] Cf. Spengel, *Philodemus* περὶ εὐσεβείας, Münich, 1863; Sauppe, *Philodemi de pietate*, Göttingen, 1864; Nauck, *Ueber Philodemus* περὶ εὐσεβείας (Mél. gr. rom., Saint-Pétersbourg, 1864); Bücheler, *Ueber Philodemus*, (*Jahrb. f. Philolog. und Pæd.*, 1865); Gomperz, *Herkulanische Studien*, 2 v. Leipzig, 1865 et 1866; Mayor, *De natura Deorum*, v. 1, Cambridge, 1880; Diels, *Doxographi Græci*, Berlin, 1879; Zeller, iii, 1, 374, n. 1.

[3] Cf. Zeller, iii, 1, 650; Ueberweg, I, 258 aliosque auctores supra citatos; Mayor, xliii: « It is now generally recognized that Cicero's philosophical treatises are not to be regarded as original works but are, as he himself calls them, adaptations from the Greek. »

cerpta videntur; quintus etiam de finibus liber Antiocho mutuatus est, Consolatioque, Crantoris ex opere περὶ πένθους. Quædam autem omnibus in philosophicis operibus Ciceronis certe propria sunt; alia, forteque plurima, ex Græcis excerpta, sed non ad verbum translata, nam perdifficile nobis videtur, invito Zellero [1], illum ostendere, dum quemque ex libris componeret, in manu hoc aut illud opus græce scriptum habuisse. Nobis quidem satis est scire Ciceronem, aliquando quidem magna cum libertate, pleraque ab eo dicta græcis fontibus hausisse. Satis autem superque manifestum fecerunt cuicumque libros de natura deorum attingenti, Schwencke, Hirzel, Diels et Mayor, Ciceronem Philodemi opus aliudve a Philodemo ipso assumptum perlegisse. Quæ enim ad Epicureos attinent, primo Ciceronis in libro, tripartito, ut fecit Mayor, dividi possunt : 1° quæ primum contra Platonem Stoicosque de diis dicit; 2° quæ deinde adversus philosophorum, a Thalete usque ad Diogenem, vulgique sententias exponit Velleius; 3° quæ denique Epicurus de diis sentit. Quam divisionem reperimus apud Philodemum, qui primum poetarum vulgique opiniones (p. 5-61), deinde priorum philosophorum placita (65-89), denique epicuream theologiam (93-151) evolvit. Philosophorum autem ab utroque citatorum plurimi eumdem tenent apud utrumque ordinem; Aristippumque uterque prætermittunt, uterque etiam, Antipatro et Panætio relictis, cum Diogene vituperandi finem faciunt.

Accuratius autem omnique ex parte duo opera inspicienti apparet multa dissimilia in utroque exstitisse. Philodemus enim sexaginta paginas, Cicero duodecim versus ad vulgi poetarumque opiniones confutandas usurpant. Cujus rei rationem reddere potest qui scholæ morem, ab Epicuro primisque Epicureis traditum, inspexerit et tertium de Natura deorum librum secundumque de Divinatione, in quibus multum contra popularem theologiam Cicero dicit, attente legerit.

[1] 650 : « Scheint er fast durchaus einzelne ihm zur Hand liegende Darstellungen im weitesten Umfang benützt. » — Multa contra et graviora dicimus alias : cf. F. Picavet, *La philosophie de Cicéron* (*N. D.*, l. II). — Sed ea quæ nobis verisimiliora visa sunt eamdem conclusionem hic inferre sinunt.

Quæ primum etiam adversus Platonem Stoicosque apud Ciceronem legimus, apud Philodemum nusquam nobis occurrunt[1]. Quæ denique ad Epicuri theologiam describendam profert uterque, conferre est difficillimum ; verba enim mutilata apparent apud Philodemum qui deos perfectissimos beatissimosque, iram neque gratiam capientes fingere videtur, religionemque in actu præsertim ponit.

Quæ ad opiniones philosophorum exponendas pertinent sæpe parum exacta apud utrumque, vituperationes, non censuras nobis offerunt. Hirzel[2] putat Ciceronem eam partem a Philodemo, duas autem alias a Zenone mutuatum. Quod pariter Diels (126), qui etiam Philodemum Ciceronemque una Phædrum secutos suspicatur. Schwencke (1879, 56-57) autem Zenonem solum Ciceroni auctorem extitisse contendit. Denique Mayor Ciceronem Philodemumque credit philosophorum sententias tractantes, ejusdem philosophi, fortasseque Zenonis[3] quem audiverat uterque, scripta ante oculos habuisse ; de prima autem tertiaque parte ad Zenonem aut Phædrum fortasse referendis nihil infert Mayor. Qui quidem, quantum nobis videtur, sapienter id facit. Quoquo autem modo se res habeat, satis est certe nos certiores factos Philodemum libros περὶ εὐσεβείας scripsisse calamitose mutilatos, Ciceronemque libros de natura Deorum fontibus non dubie ex epicureis hausisse, quibus, quum eos ceteris quæ nunc adhuc exstant contulerimus, confidere poterimus[4].

Romæ etiam tunc florebat Epicureus C. Catius qui, a Cicerone dictus verborum malus interpres, nominabat *spectra* quæ

[1] Ea autem apud LUCRETIUM (V, 110, 234) inque *placitis philosophorum* leguntur, p. 881.

[2] *Untersuchungen*, I, passim.

[3] Quæ etiam ad Apollodorum hortityrannum referre convenit, qui eo tempore vivebat (medio secundo sæculo) quo vituperationibus finem dant Philodemus atque Cicero.

[4] Cf. THIAUCOURT, *Essai sur les traités philosophiques de Cicéron et leurs sources grecques*, pag. 200 sqq. : « à l'ouvrage de Phèdre semble empruntée la première partie de l'exposition de Velléius. — Cicéron l'abandonna pour un autre écrit auquel sont empruntées les deux dernières parties de l'exposition de Velléius. — Cicéron et Philodème semblent avoir puisé également dans un ouvrage de Zénon. » *Vide*, p. 22, n. 1.

Epicurus et Democritus εἴδωλα (Cic., *Ep.*, 16, 19); quique a Quintiliano (x, 1, 124) levis quidem, sed non injucundus tamen auctor appellatus, quatuor de rerum natura et de summo bono libros hodie deperditos composuerat (*Com. vet. ad Horat. satir*, II. 4, 1)[1], qui forte theologiam passim attingebant. Lucretius autem placita magistri perite exposuit, quidque valeat ejus opus ad theologiam Epicuri restituendam quærere necesse est. Quod vero totum[2] conferre Epicuri dogmatibus nobis non convenit, qui tantum de diis scire cupimus an Lucretius magistri sententias, doctrina quidem salva et integra, repetierit atque illustraverit.

Ritter quidem (IV, 94) Lucretium contendit Epicuri placita mutavisse rerum naturam habentem vim unicam quæ omnia in se contineat partesque omnes ipsam constituentes aptissime conjungat. Natura igitur apud Epicurum quasi mortua et iners, apud Lucretium viva et, ut ita dicam, animata nobis appareret. Woltjer autem (176), posteaque Zeller (III, 1, f. 547, n. 2) manifestum reddiderunt illum superlata tantum verba citavisse quæ aliquando etiam, utpote *astra animalia*, Epicurus ipse usurpaverat.

Plurimi apud Lucretium se nonnulla reperisse putaverunt quæ, Epicuri placitis contraria, apud Empedoclem eadem pæne videantur. Perspicuum est quidem Empedoclem ut poetam plurimi fecisse Lucretium[3], quædam etiam ad philosophiam pertinentia pariter apud Empedoclem et Lucretium inveniuntur, quæ poeta romanus ex Epicuro hausisse potuit[4]. Præterea Lucretius, de monstris disserens, Empedoclem non profert quum ipsi consentit (v. 837) aut repugnat (v. 878), Epicuroque quidem convenit quum omnino ab Empedocle dissentiens

[1] Quemdam Catium (*Sat.*, II–IV) introducit Horatius, sed philosophum jam mortuum spectare non videtur.

[2] Quod accurate fecit WOLTJER, *Lucreti philosophia cum fontibus comparata*, Groningue, 1877.

[3] FRIES, *Gesch. der Ph. Halle*, 1837, VI, f. 20 ; RITTER, *G. der Ph.*; KARSTEN, *Empedoclis Agrigentini carmin. reliquiæ* : REISACKER, *Quæst. Lucr.*, f. 43 ; HALLIER, *Lucreti carmina e fragmentis Empedoclis adumbrata*; BAESTLEIN, *Quid debeat Lucretius Empedocli Agrigentino.*

[4] MARTHA, *Le poème de Lucrèce*, p. 389.

naturæ fœdera invocat [1]. Epicurum etiam sequitur quum de mundi origine, nullo interveniente Deorum numine, mortalique de anima disserit, quum postea fines negat mundum accurate inspicienti apparere, ut jam Lactantius memorat: *Quid ais, Epicure? Si non sunt ad videndum oculi nati, cur igitur vident? Postea, inquis, usus eorum apparuit...* (*de opif. c. 6*), quum fatum æque ac Deos mundum gubernantes tollit, quumque mundum non divinum putat, quum meteora explanat, opinionesque ab hominibus antiquis habitas, deorumque naturam, etc... exponit [2].

Lucretius, aiunt, vehementius quam Epicurus religionem incusavit [3], quum præsertim hominem Deos reformidantem scelera ad ultima addictum facienda posuit. Quod nobis manifestum fit, addunt, si præsertim in summo reipublicæ discrimine, a Syllæ initio usque ad Clodii exitum, quo Lucretius vixit, minime attendimus. Eo tempore autem quo ætatem agebat Epicurus, civibus Athenæ securitatem majorem quam Lucretii æqualibus Roma, profecto non præstabant [4]. Lucretius quidem a pueritia probabiliter opinionibus de diis sinistris deditus fuit, verum Epicurus antiquas superstitiones vidit, dum domos hominesque cum matre lustraret (D. L., x, 4). Epicurus enim æque ac poeta populares depugnat adversus opiniones, Deosque, nunquam otium et pacem linquentes, in intermundiis locavit, impiosque et atheos eos putavit qui diis naturæ perfectæ et beatissimæ repugnantia tribuant. Ad eumdem certe finem [5] uterque spectat, Lucretiusque, ut jam ostendimus, discipulum interpretemque tantum Epicuri se præbet, Timonisque instar, magistri προφήτης jure nominaretur. Memmio civibusque

[1] Woltjer, f. 177.

[2] Cf. infra, ch. vi.

[3] Martha, 21 : « L'irréligion si discrète du maître et si douce qu'elle a pu être soupçonnée d'hypocrisie, éclate dans le poème en accents irrités, comme une revendication tribunitienne contre des dieux oppresseurs... le maître (76) n'avait point cette allure de Titan révolté contre le ciel. »

[4] Cf. infra p. 39 sqq.

[5] Martha, p. 111. « La grande pensée du maître à laquelle tout est subordonné fut de délivrer la nature de toutes les puissances occultes, malfaisantes, ridicules qui troublaient l'univers et l'homme. »

Epicurum mirandum cupit, qui ipse magistri epicurei, forte Zenonis, verba nuper audiverat [1]. Difficillime enim, inquit, Epicuri placita comprehendes, nisi ad ea animum attenderis, quæ tamen nonnunquam ipse plane non intelligit : nihil ex nihilo fuisse, exempli causa, ex atomis æternis primum firmat, deinde atomos esse æternas putat, eo quod nihil ad nihilum unquam redigi possit [2]. Sermonis originem et incrementum minus Epicuro aperte Lucretius explicat, qui etiam nulla ex iis quæ peccat magister vitare tentavit. Nihil ergo Lucretii adeo proprium est ut eum aut philosophum nova proferentem aut discipulum magistro majorem jure habeamus... Quem sequi nobis licebit quid de diis senserit Epicurus jam quærentibus [3].

Virgilius, qui Scyronem audiverat, nonnulla Epicuri placitis similia cantavit, quæ Lucretii ex poemate excerpta videntur [4], de diis autem Epicureos non secutus est.

Tertii autem initio sæculi, nobis occurrit Laertius Diogenes qui si minus Epicureus, at certe Epicureorum amicus fuit [5], Cui plura, ad Epicuri sententias restituendas, maximi pretii debemus. Nobis enim integre servavit Epicuri testamentum, Epistolasque ad Idomenæum, ad Herodotum, ad Pythoclem, ad Menœceum, Sententiasque ratas [6]. Indicem etiam præcipuorum operum ab Epicuro aut Epicureis scriptorum nobis præbet, placitaque Epicuri solito diligentius explanat, contraque adversarios peritius defendit. Cujus opera novisse omnia nobis videtur, ea quæ ex iis fere ad verbum excerpsit, attente inspicientibus [7] : « Ipse quoque in epistolis aqua « tantum et simplici pane se contentum esse testatur. Item

[1] Martha, *op. cit.*, p. 23.

[2] Cf. Woltjer, 23.

[3] Eadem dicunt Woltjer (176), Eischstædt (*Bernh. Grund. der röm. Litt.*, 532) ; Zeller, 377 et 547 : « Er ist für unseine der schätzbarsten Quellen zur Kenntniss der epikureischen Lehre. »

[4] Munro, 349, Martha, *op. cit.*, p. 295.

[5] Zeller, 377, n. 3; Ueberweg, i, 24.

[6] Qui ut Fougerolles, ea Epicuri esse negaverunt, id nullo quidem argumento probaverunt.

[7] Quæ jam retulimus nunc omittemus.

« mitte, inquit, mihi casei Cythnii paululum, ut quum epulari « pretiosius voluero possim. »

Diogenes etiam memorat Epicuri epistolam ad Eurylochum, librumque de Rhetorica et eum qui inscriptus erat Timocrates, Regulam et Canonem, Quæstiones et libros de Natura, Symposium et Vitas, librosque de electione et fuga, de fine, de electionibus , epistolam ad Mytilenenses philosophos, etc. « Volumina ad trecenta, ait, Epicurus scripsit solisque referta suis sententiis, dum Chrysippus, a Carneade dictus Epicuri parasitus, tot testimonia in libris inserit ut iis solis libri pleni esse videantur. » Solis, ut Diogenis utamur verbis, Epicuri sententiis pæne refertus est illius decimus liber.

Quæ e discipulorum scriptis etiam hausit meminisse convenit : Metrodori enim, (136) Apollodorique Epicurei (2.13), Philodemi (3.24), Hermarchique et Diogenis (118, 119, 136, 138) ipsa verba ponuntur.

In summa autem, ex mille et octingentis fere versibus quos continet Diogenis liber de Epicuro, plus mille et quadringentos ex Epicuro aut Epicureis ita hausit, ut indicia maximi pretii ad sententias Epicuri fingendas nobis præbeat.

IV

Quidam vero scriptores ab Epicuro dissentientes nobis evolvendi sunt. Quorum alii, ut Cicero et Plutarchus, Epicureis inimicissimi sunt ; alii, ut Seneca, placitis Epicuri aliquando favent ; quidam etiam, ut Sextus Empiricus, de omni re contraria exponentes ad ἐποχήν probandam, sine ira aut studio, omnia quæ priores senserunt, religiosissime referunt.

Cicero autem, Lucretio et Diogene etiam lectis, multa profert quæ nobis ad theologiam Epicuri absolvendam auxilium ferent. Placita quidem Epicureorum Cicero pernovit, qui magistros habuit Phædrum Zenonemque Epicureos ; qui nonnullos amicos, ut Patronem quem C. Memmio commendat

(*Ep.*, XIII, 1), Cassium et P. Atticum, inter Epicuri discipulos habuit, quique fortasse Lucretii poemata edidit, ut putat Munro[1], certeque cognovit, ut aperte ostendit Martha[2]. Itaque ipse jure dicit in primo libro de finibus bonorum et malorum : « Nisi mihi Phædrum mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, quum mihi nihil sane præter sedulitatem probarent, *omnes mihi Epicuri sententiæ satis notæ sunt* ....quotidieque inter nos, ea quæ audiebamus, conferebamus neque erat unquam controversia, quid ego intelligerem, sed quid probarem » (1. 5)[3].

In primo autem de Natura Deorum libro, Velleium Epicureum introduxit ad theologiam magistri exponendam, ut in primo libro de finibus bonorum et malorum Torquatum de moralibus loquentem ponebat. Quædam etiam in libris de divinatione, de finibus, de fato, epistolisque reperiemus, dum semper meminerimus quæ Cicero Epicureis infestus profert, attente inspicere ceterisque ad theologiam quæ pertinent diligenter comparare.

Senecæ autem libri de Beneficiis epistolæque ad Lucilium ea complent quæ apud Lucretium, Philodemum et Ciceronem atque Diogenem inveniemus. Quod de Plutarcho pariter dicemus, qui in libris *de defect. orac.*, *Nec posse suaviter vivi secundum Epicurum*, *contra Coloten*, nonnulla nobis præbet quæ ea ab aliis relata confirmant aut supplent, dum diligenter perpendamus ea quæ profert ille quidem qui Epicurum inter clarissimos (ἐλλογιμωτάτους) philosophos collocat, sed tamen Epicureis infestus manifeste apparet. Quod ad libros spectat qui Placita philosophorum inscribuntur, quique cum Stobæo, Pseudoque Galeno conferendi sunt, docti homines sæpe, nuperque Diels[4] eos a Plutarcho non compositos ostenderunt. Eos autem si evolvemus, nobis statim iis maxima cum prudentia uti apparebit.

[1] MUNRO, 309 sqq.
[2] MARTHA, *op. cit.*, p. 351.
[3] De Ciceronis magistris longius tractavimus in secundo a nobis edito de Natura Deorum libro.
[4] Doxographi Græci. Cf. E. EGGER, *Journal des savants*, mai 1884.

Sextus denique Empiricus multa quæ nusquam reperire est, præsertim in nono adversus Mathematicos libro, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius aliique christiani scriptores, nonnulla quidem, sed diligenter examinanda, ad theologiam Epicuri restituendam nobis suppeditabunt.

CAPUT II

DE PRIORUM PHILOSOPHORUM SENTENTIIS POPULARIBUSQUE OPINIONIBUS QUÆ AD THEOLOGIAM EPICURI CONSTITUENDAM PRODESSE POTUERUNT.

Mihi quidem Epicuri quæ propria sint describere proponenti, necesse est primum ea exponere quæ de diis a veteribus philosophis excogitata, vel a Græcis, præsertim ab Atheniensibus qui Epicuri ætate æquales fuerunt accepta, in Epicuri theologia locum sumpserint.

I

Xenophanes Colophonius multa contra vulgi opiniones scripsit : « Pariter impii, inquit, sunt qui natos dicunt deos quique mortales eos affirmant ; utrique enim deos esse negant[1]. Ho-

[1] Arist., *Rh.*, II, 23, 1399 b. : Ξεν. ἔλεγεν ὅτι ὁμοίως ἀσεβοῦσιν οἱ γενέσθαι φάσκοντες τοὺς θεοὺς τοῖς ἀποθανεῖν λέγουσιν· ἀμφοτέρως γὰρ συμβαίνει μὴ εἶναι τοὺς θεούς ποτε.

merum Hesiodumque increpat qui probri et dedecoris quidquid mortalibus usquam est, id totum diis tribuerent, furta et adulteria atque mutuas fraudes (Sext. Emp., *adv. Math.*, i, 289; ix, 193). Eleatis an Leucotheam lugere deberent eique sacra facere quærentibus, respondisse dicitur deam non lugendam, mortali contra, sacra non facienda esse (Arist., *Rh.*, ii, 23. *b*, 5). Denique divinationem omnino sustulit [1].

Parmenides τὸ ὄν, quod nonnulli pro Deo habent, motui non subjectum esse (ἀκίνητον) statuit, multaque illi tribuit quæ cum popularibus de Diis opinionibus minime congruunt : quod præsertim neque natum neque mortale esse potest. Illud Zeno argumentis celeberrimis demonstrare nititur denuoque a Melisso exponitur. Melissus etiam τῷ ὄντι ullum motum quem vocant dolorem negat : perfecto enim, inquit, dolor non convenit, Empedoclemque refellit qui σφαῖρον Discordiæ subjectum esse simulque beatissimum contendebat. Diogene Laertio (ix, 24) auctore, de Diis nihil esse definiendum dicebat, neque enim illorum esse cognitionem (μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν), quod finxit, si Zellero (i, 562) credimus, ne doctrina sua cum iis quæ cives de diis sentiebant discrepare videretur. Nos autem opinabimur hoc Melisso pro vero fuisse, quippe qui non deos populares, ut postea Plato, sed simpliciter deos dicat.

Pythagoras, Hieronymo apud Diogenem auctore, ad inferos descendit atque Hesiodi quidem animam columnæ æreæ vinculis adstrictam stridentemque vidit, Homeri autem ex arbore pendentem serpentesque illam circumdantes, propter ea quæ de diis dixere (D. L., viii, 21).

Anaxagoram dicit Diodorus (xii, 38) Athenis accusatum et fortasse damnatum ὡς ἀσεβοῦντα εἰς τοὺς θεούς. Credebat enim astra et præcipue solem et lunam lapides e terra sejunctos, qui ardescentes in æthere fulgentes fierent [2]. Deos quidem plane negasse populares non videtur [3], sed omnibus patebat Græcis

[1] Cf. p. 12.
[2] Platon, *Apol.*, 26, *d*, *Leg.*, xii, 967 ; Xenoph., *Mem.*, iv, 7 ; Pseudo-Plutarch., *Plac.*, ii, 13, 3, Hippolyt., *Ref.*, *Hæres.*, i, 8.
[3] Zeller, i, 865, n. 4.

astra non simul saxa et deos esse. Heraclitus (Müll. *fr.* 27 et 81) mundum eumdem omnium dicit, neque diis neque hominibus creatum fuisse, Dionysiique cultum reprehendit : nisi Dionysio pompam celebrarent, canerentque carmen in pudenda conditum, impudentissimi in factis essent.

Democritus φυσικῶς quæ ad deorum notionem homines primos duxerint explicare conatur. Sunt, inquit Sextus (*adv. Math.*, IX, 24), qui ex rebus admirabilibus (παραδόξων) quæ in mundo fiunt, suspicati sint nos venisse in notitiam deorum ; in qua opinione videtur etiam esse Democritus ; videntes enim, inquit, veteres quæ in sublimi accidunt (τὰ ἐν τοῖς μετεώροις παθήματα) utpote tonitrua et fulgura et fulmina et astrorum coitus, solisque et lunæ defectus, terrebantur, nam existimabant deos esse eorum auctores. Quod autem magis definite, secundum placita sua exprimit : Democritus autem ait (Sext., *adv. Math.*, IX, 19) quædam simulacra appropinquare hominibus et ex iis alia quidem esse benefica, alia vero malefica... ea autem esse magna et ingentia... unde ea visione apprehendentes antiqui deos esse existimarent (Cic., *de N. D.*, I, 12, 29). Inde sequebatur de populi opinionibus in deos physica interpretatio sæpe apud posteriores usitata.

Diagoras autem Melius fere iisdem temporibus (Zeller, I, 864) deorum contemptor habitus fuit, qui, Sexto auctore (IX, 53), fuit primum dithyrambicus, ut si quis alius superstitiosus, qui etiam poesim suam incepit hoc modo « a dæmone et fortuna fiunt omnia », injuria autem affectus ab aliquo qui pejeraverat impunitus, eo deductus est ut negaret esse deum.

Sophistæ eo tempore apparuerunt quo Græci valde mores pristinos mutaverunt. Persis enim et Carthaginiensibus victis, cives ipsis majorem fiduciam adhibuerunt, novos deos, ne cetera attingam, cognoverunt diisque patriis minus crediderunt. Athenæ præsertim quæ Græciam ad victoriam duxerant, omnes qui ingenio præstabant ad se allexerunt factæque sunt τῆς Ἑλλάδος τὸ πρυτανεῖον τῆς σοφίας, simulque in lucem novas opiniones acatalepticas aut scepticas prodiderunt. Eorum autem de diis sententias memorare nos oportet.

Protagoras Ceus, a nonnullis *atheos* dictus, librum περὶ θεῶν composuerat, ab uno ex ejus discipulis apud Euripidem aut Megaclidem aut in Lycæo lectum, jussuque Atheniensium crematum, postquam Protagoras ipse pulsus fuisset. Initium autem ejus libri tale erat : de diis quidem statuere nequeo, utrum sint, necne : sunt enim plurima quæ id scire prohibeant, et summa rei obscuritas et brevis hominum vita [1].

Thrasymachus (HERMIAS in PHÆDR. AST, 192) providentiam deorum negabat. Critias, unus ex iis qui tyrannidem Athenis exercuerunt, videtur, ait Sextus (IX, 54), esse ex ordine impiorum, dicens quod antiqui legislatores finxerunt deum inspectorem rerum quæ bene et male fiunt ab hominibus, ut nemo proximum suum clanculum injuria afficiat, cavens ne a Deo puniatur [2].

Prodicus Ceus alio modo cur homines Deos esse crederent explicabat : solem, inquit, et lunam et fluvios et fontes et in summa quæcumque prosunt vitæ nostræ, antiqui deos existimarunt propter utilitatem quæ ex iis percipitur, quo modo Ægyptii Nilum, et ideo panem quidem existimatum esse Cererem, vinum vero Bacchum, aquam Neptunum, ignem Vulcanum, atque adeo unumquodque eorum quæ sunt usui [3].

Socratem accusaverunt Meletus, Anytus et Lycon, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζοντα, τοὺς θεοὺς διαφθείροντα. Sacra quidem faciebat Socrates, ut ex Platonis Phædone apparet, legibusque ad deos pertinentibus parebat, discipulosque easdem observare jubebat; ipse autem τὸ δαιμόνιον ἑαυτῷ σημαίνοντα invocans, Deum summum omnia disponentem gubernantemque docet, deosque patrios minus colendos ita reddit. Quod nobis patet posteriores philosophos legentibus, qui fere omnes laudaverunt eum quod unus ex primis ex antiqua superstitione fata

[1] PLATON, *Theæt.*, p. 162; DIOG. LAERT., IX, 51 ; SEXTUS, *adv. M.*, IX, 56; CIC., *de N. D.*, I, 12-23. Fabricii notas ad Sext. Emp. l. c. legere necesse est.

[2] Versus a Sexto citatos ad Euripidem refert *Placitorum* auctor — vide FABRICIUM, *ad Sext.*, IX, 54.

[3] SEXT. EMP., *adv. Math.*, IX, 18, 52 ; CICER., *N. D.*, I, 42 ; MINUCIUS FEL., *in Octavio*, ch. 21. Pr., assumptos in deos loquitur, qui errando, inventis novis frugibus, utilitati hominum profuere.

deturbasset. Antisthenes, dicit Velleius apud Ciceronem, in eo libro qui *Physicus* [1] inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens [2], tollit vim et naturam deorum. Ipse etiam (D. L., vi, 4) quum aliquando Orphicis mysteriis initiaretur diceretque sacerdos ejusmodi initiatos bonis plurimis apud inferos perfrui, cur igitur, ait, ipse non moreris? Deos, aiebat, non ex simulacris cognoscunt (εἰκόνος οὐ γνωρίζεται), oculis eos non vident (ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται) [3]. Diogenesque cuidam quid in cælis agatur quærenti respondisse fertur, « nunquam ascendi [4] ». Stomachabatur, Diogene Laertio auctore, iis qui pro bona valetudine sacra faciebant et inter sacrificia, sanitate neglecta, cænabant (vi, 28). Quumque inspiceret somniorum interpretes, vates atque eos qui his animum advertunt, nihil se stultius existimare homine (vi, 24) dicebat. Quemdam quum adspexisset se religionis causa undis abluentem : « O miser, ait, nonne scis te, quemadmodum erroribus in grammatica non potes aspersione aquæ liberari, sic neque iis quos in vita commiseris, ita liberari posse. » Culpabatque preces hominum, dicens eos quæ ipsis bona viderentur, non quæ revera bona essent, postulare (Diog., vi, 42); Atheniensibus Alexandro Dionysium nomen decernentibus : « Et me, inquit, Serapin facite » (vi, 63).

Cynici autem ἄθεοι solum nominari possunt si pro atheis, ut antiqui Græci, eos habemus qui Deos patrios negabant sacrisque, interpretibus et precibus irridebant [5].

Stilpo, e Megaricis Eleatarum heredibus unus, qui Athenis docebat circa 320 et usque ad 306 vitam duxit, Crateti ex eo quærenti an Dii precibus et adorationibus gaudeant : « Noli me, fatue, in via hæc rogare, sed solum ac seorsum » dicitur respondisse, deque Minerva Phidiæ in hunc modum argumentari : « Num, inquit, Minerva Jovis filia deus est [6] ? Quum vero an-

[1] Fortasse ἐρώτημα περὶ φυσέως, cf. Zeller, ii, 250, n. 7.

[2] Lactantius addit (*Inst. div.*, i, 5), id est, summæ totius artificem. Quod minime probatur.

[3] Clem. Alex., *Strom.*, v, 601, *A.*, *Protr.*, p. 46 c.; Theod., *Cur. gr. affect.*, i, 75, p. 14.

[4] Tertull., *Ad. nat.*, ii, 2.

[5] Zeller, II, 281, n. 1.

[6] Cf. infra quæ e Theodoro rogat apud Diogenem.

nuisset ille, dixisse : At ista non Jovis, sed Phidiæ est? Concedenti illi : Non ergo, inquit, ipsa deus ». Ante Areopagum se defendebat dicendo eam deam quidem, non deum esse, nam deos esse mares. Ab Atheniensibus autem pulsus fuit (Diog., ii, 116). Theodorus qui Athenis vixit (316-306), primo ἄθεος, deinde θεός appellatus, sive per antiphrasim, sive per Stilponis rogationem : « Putasne, Theodore, si quid esse dicis, id etiam te esse? quum annuerit : Ergo Deus es » (Diog., ii, 116). Qui omnes omnino de Diis opiniones sustulit, παντάπασιν ἀναιρῶν τὰς περὶ θεῶν δόξας, in quodam libro ex quo Epicurum plurima suorum sumpsisse asserunt (φασιν) : « Stilpone Minervam deam non deum esse dicente, unde, inquit, hoc novisset? num ipsius sublata veste hortum inspexerat? » Quumque assideret aliquando Euryclidi hierophantæ : « Dic mihi, ait, Euryclides, quinam sint qui circa mysteria impii sunt? Quum ille respondisset eos qui ea nondum initiatis aperirent : Et tu ergo impius, ἀσεβεῖς καὶ σύ, qui ista nondum initiatis enarres » (Diog., ii, 101). Furta autem, sacrilegia et adulteria non natura (φύσει) esse turpia, si tollatur vulgaris de iis opinio, quæ ad compescendos stolidos constitit (D. L., ii, 99). Et vero, addit Diogenes, parum abfuit quin raperetur in jus ad Areopagum, nisi eum Demetrius Phalereus periculo eripuisset. Cicero (*N. D.*, i, 23, 42, 63, 117), quem Minucius Felix et Lactantius [1] sequuntur, Plutarchus (*Com. not.*, 31, 4), Sextus Empiricus (*Hyp.*, iii, 218; *Math.*, ix, 51, 55) [2], Epiphanes (*Expos. fid.*, 1089, A), ut Diogenes, affirmant deos a Theodoro omnino sublatos. Non est ergo cur illum cogitemus, Clemente auctore [3], falsos tollere tantum deos voluisse, quum enim nunquam inter falsos et veros discrimen fecisse videtur.

Bion Borysthenites, Theodori discipulus, qui paulo posterior Epicuro fuisse videtur [4] multa in sermonibus adversus deos

[1] Amphicrates autem in libro *de illustribus viris* aiebat — an jure nescio — illum damnatum cicutam bibisse.

[2] Τὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησι θεολογούμενα ποικίλως ἀνασκευάσας. Sextus ἄθεον eum dicit quanquam hæc tantum ad deos populares pertinent quod significare videtur eum de aliis diis non cogitavisse.

[3] *Pædag.*, 15, A.

[4] Cf. Zeller, ii, 294.

jactare solebat, quæ ex impii Theodori disciplina hauserat (πολλὰ δὲ καὶ ἀθεώτερον προεφέρετο τοῖς ὁμιλοῦσι, τοῦτο θεοδώρειον ἀπολαύσας). Si quidem Laertio credamus, Chalcidensibus auctoribus, ut incidit longum in morbum et mortem formidat, ille derisor mortalium qui sacris numen placant, non solum super altaribus, focis et sacra mensa adipe, nidore et thuribus nares deorum implet, non solum se peccavisse dicit, sed anui facile præbuit collum sibi excantandum obedienter et loris devincienda brachia (D. L., IV, 55 sqq.). Sæpius quidem, vulgus superstitiosa tribuit atheis quo facilius eos illuderet [1]; attamen eo tempore quo vixit Bion, multa exempla reperiamus quæ prodant nonnullos atheos simul ac superstitiosos fuisse.

Eodem fere tempore floruit Euemerus [2] qui ἱερὰν scripserat ἀναγραφήν, a Clemente, Theophilo, Eusebio, Minucio, Arnobio Lactantio et Augustino citatam, ab Ennio in latinum sermonem translatam. Eo autem libro dicebat eos qui dii habeantur, fuisse potentes quosdam homines et ideo ab aliis relatos in numerum deorum visos esse deos (S. Emp., *Math.*, IX, 17, 51). In Creta, aiebat, Jovis sepulcrum monstrant (Diod., *ap.* Eus. *prep. ev.*, II, 2, 52). Atheus [3] dictus est, ut qui deos populares negaret, quanquam alios deos immutabiles et ab hominibus merito honoratos agnoscebat (*id.*).

Plato autem maximum optimumque Deum omnia ordinantem regentemque ponit [4], deos antiquos linquendos Græcis suadere videtur [5]; qui duo esse quæ de diis fidem faciant in Legibus (XII, 967) memorat, unum quod de animo dicebamus esse eum antiquissimum et deo simillimum omnium quorum motio ortu assumpto perennem essentiam exhibuerit; alterum de motu motusque ordine astrorum atque ceterorum quæ intellectus, qui universum adornavit, potestati subjiciun-

[1] F. Picavet, Art. *Bion* (Grande Encyclopédie).

[2] An Theodori discipulus fuisset nescimus (cf. Zeller, II, 294).

[3] Sextus Emp., *loc. cit.*, Cic., *De Nat. Deor.*, I.

[4] Cf. *Timæum*, passim. Platonis de diis non omnia placita, sed ea solum quibus ad theologiam constituendam uti potuit Epicurus, exponere volumus.

[5] Ipse quidem eos coli jubet (*Leg.*, V); sed ejus operum lector difficillime ei paruerit.

tur. Opiniones eorum qui Deos arte (τέχνῃ), non natura (φύσει) sed legibus quibusdam esse dicunt exponit et oppugnat (Leg., ix, 889). Ipse tamen aliis in libris fere eadem de diis popularibus profert, qui in Timæo ironice talia de iis dicit : de reliquis vero numinibus exponere et nosse ortum majus est, quam pro viribus nostris, credendumque iis, qui ante nos exposuerunt, diis prognati, ut ferebant, et majorum suorum bene, ut opinari licet, gnari, nefas igitur quanquam nec verisimilibus nec necessariis argumentis utentibus fidem non habere, sed ut suis de rebus referre se profitentibus secundum legem (τῷ νόμῳ) credere debemus, sic igitur, ut ab illis est traditum, horum deorum ortus habeatur atque dicatur : Terræ et Cæli filii Oceanus et Tethys fuerunt, horum deinde Phorcys et Saturnus cum Rhea, quique his conjuncti, ex Saturno autem et Rhea, Jupiter et Juno et omnes, quos fratres eorum, alios etiam horum filios memorari scimus (*Tim.*, 40 *e*, 41 *a*).

In Cratylo etiam quæ jam Prodicus Critiasque ad deos interpretandos adhibuerant ipse introducit : *Primos, inquit, puto Græciæ incolas, non alios habuisse deos quam eos nunc adhuc a barbaris adoratos, solem et lunam, terramque, astra et cœlum. Quorum motus continuosque cursus perspicientes eos* θεούς ἐκ θεῖν *nominaverunt, nomenque aliis postea imposuerunt.* Deinde Demeter terra (γῆ) est quæ plurima, tanquam mater, nobis donat; Zeus vita est (ζῆν); Hera, quædam mulier amabilis (ἐρατή τις) a Jove amata (αὐτῆς ἐρασθείς), cujus nomen a quodam legislatore cælestia inspiciente fortasse inventum est (ἤρα ἐξ ἄερα) [1].

Deos autem fingit perfectos, bonos, justosque (ἀγαθούς... ἀρίστους... ὄντες) quibus virtus nulla nihilque quod sit laude dignum deesse potest (*Leg.*, x, 900), quos gaudere vel mœrere, neque verisimile est, neque omnino decens, dum puræ voluptates ad eos pertinent (*Phil.*, 33 *a*). Hesiodum Homerumque increpat ; nam Deos diis facere injuriam, vel bellum inferre et insidiari et pugnari, dicere fas non est (*Civ.*, ii, 378). Euthy-

[1] 397*d.*, cf. quæ de Orithyia a Borea rapta dicit (*Phædr.*, 229 *e*).

phronique Saturnum quod natos devoraverit a Jove filio ligatum esse referenti, respondentem introducit Socratem : « ægre fero quando de diis talia dicuntur ».

Dii etiam non ad sacrificiorum magnificentiam, sed ad precantis animum spectant (*Alcib.*, II, 149). Alio in loco, de sacris precibusque agitur quæ, mercaturam quamdam mutuam (ἐμπορικήν) inter deos et homines constituunt, in qua hominum utilitas facile, deorum autem difficillime, percipitur (*Euthyphr.*).

Aristoteles omnium consensionem de diis testatur : πάντες ...ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν (*de cælo*, I, IV), quum Divino (τῷ θείῳ) supremum locum, Barbaris Græcisque auctoribus, tribuere conatur. Deorum notionis de origine quærit : Aristoteles, ait Sextus (*adv. Math.*, IX, 20), ex duobus principiis dicebat ortam esse dei notionem inter homines, nempe et ex iis quæ in anima accidunt (ἀπό τε τῶν περὶ τὴν ψυχὴν συμβαινόντων) et ex sublimibus (ἀπὸ τῶν μετεώρων) ; ex iis quidem quæ in anima accidunt, propter divinos ejus in somnis afflatus et divinationes (διὰ τούς ἐν τοῖς ὕπνοις γινομένους ταύτης ἐνθουσιασμοὺς καὶ τὰς μαντείας). Quando enim, inquit, in somnis anima per se fuerit, tunc sua propria recepta natura et divinat et futura prædicit, talis est autem etiam dum in morte separatur ab incorporeis : Homero enim nititur ut qui hoc observaverit; fecit enim Patroclum quidem, dum interimeretur, prædicentem cædem Hectoris, Hectorem autem Achillis ; ex his ergo, inquit, suspicati sunt homines, deum esse aliquid quod ex se sit simile animæ, et sit omnium scientissimum. Sed et ex sublimibus : quum contemplati essent solem quidem interdiu circumeuntem, noctu autem ordinatum aliarum stellarum et ordinis.

Deum putat animal æternum et præstantissimum, τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον (*Met.*, XI, IV) ; diis etiam omnis vita beata est; hominibus autem, quatenus simulacrum aliquod talis functionis habent, τοὺς θεοὺς ...μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους καὶ εὐδαίμονας εἶναι· τοῖς μὲν γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βιὸς μακάριος, τοῖς δ'ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμα τι τῆς τοιαυτῆς ἐνεργείας ὑπάρχει. (*Eth. Nic.*, X, 9) ; Dei, alias dicit, vita talis est qua-

lis nobis optima brevi tempore (Διαγωγή δ'ἐστιν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν (*Met.*, XI, 7), alioque in loco : ὁ θεός, inquit, αἰεὶ μίαν ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν (*Eth. Nic.*, VII, 14). Deus etiam omnis laboris et curæ expers est, nam ad res disponendas ipse non descendit : οὐ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ θεός, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις ἐπιτάττει (*Eth. Eud.*, VII, 15) [1].

Pyrrho autem mentis quietem (ἀταραξίαν) vitæ finem habuit, qui magnus sacerdos pie (εὐσεβῶς) cum sorore vixit (D. L., IX, 66), cultusque deorum discipulis ipse commendavit [2].

II

Quæ Græci, placita philosophorum minime noscentes, quarto ante Christum sæculo de diis sentiebant ? Pindaro etiam Æschyloque florentibus, postquam Græci Persas Carthaginiensesque superaverant, Deosque maxime potentes et amicos experti erant, eos certe summa et purissima religione plerique coluerunt [3]. Paulatim autem minuitur pietas, dum contra superstitio inquieta sereni et antiqui cultus locum in animis teneret. Quod plurima simul genuerunt.

Primum res publicæ infeliciter mutabantur. Quum Athenienses Spartanique bello dividerentur, pestilentia conflictati perierunt plurimi vel in delubris ipsis, morte correpti (LUCR., VI, 1270), pæneque omnes nec jam religionem neque deorum numina magni pendebant qui suos defendere aut nolebant aut nequibant.

Duos deinde exercitus per bellum adversus Syracusas gestum amiserunt Athenienses, qui nunquam imperium restituere

[1] Cf. CH. LÉVÊQUE, *Etudes de philosophie grecque et latine*, *la Nature et Dieu dans la doctrine d'Aristote.*

[2] De iis quæ a Pyrrhoneo Epicurus Nausiphane mutuatus est, longius tractavimus in opere adhuc inedito qui « Le scepticisme dans l'antiquité » inscribitur.

[3] Quod accuratius exposuit J. GIRARD, *Le sentiment religieux en Grèce d'Homère à Eschyle.*

potuerunt. Mox enim prope Ægon flumen victores Spartani Athenas ceperunt earumque mœnia funditus eruerunt et naves incenderunt trigintaque tyrannis principatum reliquerunt. Quid autem Dii patrii tum faciebant?

Aliæque civitates Græciæ eodem fere tempore pariter infelices nobis apparent. Quarum Sparta, tum inter eas potentissima, turpem cum Persarum rege pactionem facit, quæ tamen a Thebanis victa mox regnum amittit. Thebani autem et Athenienses a Philippo Macedonum rege vincuntur, Thebæque paulo post ab Alexandro ejus filio evertuntur. Alexandro autem adversus Persas pugnante, Agis Spartanorum rex ab Antipatro frangitur. Græci omnino qui jam imperium Alexandro tribuerunt, nunc omnes sub jugum Macedonici imperii subiguntur; ἐν βασιλεῖ, ait Aristoteles[1], τὰ τῶν Ἑλλήνων, qui cum Deo regem confert. Alexandro autem mortuo, Athenienses plures etiam socios secum habentes quam Persici belli tempore habuerunt, primo vincunt, deinde vincuntur, civiumque duodecim millia, præsertim pauperum ablegantur, Samiique coloni[2] spoliati Athenas redeunt. Perdicca autem occiso, Antipatroque mortuo, exsules in patriam restituuntur, Phocioque et ejus amici Macedoniæ dediti capite damnantur; verum paulo post Cassander urbem capit, Demetriumque Phalereum Phocioni amicum ad eam regendam eligit. Quem ab Athenis rejicit Demetrius Poliorcetes, qui postea victus simul ac pater Antigonus, ab Atheniensibus in urbem non admittitur. Lachares autem aliquo tempore Athenas gubernat, donec Demetrius denuo urbem capiat magistratusque amicis tribuat. Cujus filius Antigonus Gonatas omnem Græciam regit. Athenienses igitur ceterique Græci libertatem amiserunt, Diique patrii pariter victi[3], potestate privari nec jam ullum cultum mereri videntur.

Non solum enim Dii suos perdere libertatem patiuntur, sed etiam scelera relinquunt inulta. Philippus fidem datam sæpius fallit, attamen Græcos pie deos colentes superat. Alexander

[1] *Phys.*, II, 3, 210 *a*.
[2] Quorum erat Epicuri pater.
[3] Cf. Fustel de Coulanges, *La cité antique*, præsertim p. 184 et 190.

Thebanorum plus sex millia trucidari trigintaque millia sub hasta venire jubet, duoque millia Tyriorum suspendi, mulieres, puerosque et servos venumdari, Batimque, pedibus foratis, ad currum ligatum circa urbem præcipiti cursu ipse trahit. Persepoli deinde hominibus occisis feminisque venumdatis, Branchidæ ipsi trucidantur, Græcos dum læti accipiunt, eo quod eorum atavi Persarum regi Apollinis thesauros dederint. Ipse autem potus Clitum servatorem sui occidit, Callisthenemque cruciari innocentem, dein suspendi jubet [1]. Omnesque fere terras eo tempore cognitas subigit filiusque Ammonis ab oraculo dicitur ! Alexandro autem mortuo, dii adversus Antipatri ministros Demosthenem eos implorantem defendere nequeunt, maximaque scelera fieri sinunt. Cynanem enim Philippi filiam Perdiccas, deinde ipse necatus, Philippum Aridæum Olympias, Olympiamque Roxanem et ejus filium Cassander, Heraclem Alexandri filium Polyspercho, Cleopatram Alexandri sororem Antigonus interfici jubent, dum Alexander in numero deorum ipse positus, suos mortuus defendere nequit ! Nam Deus, si aliquid possit et justus sit, talia non pati, vel saltem ab iis qui talia audent pœnas repetere deberet.

Dii igitur antiqui plurimis impotentes videntur ; deos autem omnino paucissimi tollunt. Novos quidem deos ponunt qui sæpe potentes, raro sane justi, boni et perfecti creduntur.

Quidam enim Dii secundas olim sortientes, ut Æsculapius, progredientibus quidem ætatibus, primas obtinebant. Ab Æsculapio, ut exemplum proferam, sanitatem tantum petebant, quem deinde invocant bellatores, nautæque fluctibus navem evertentibus, quem denique omnium custodem, miracula crebro facientem maximumque demiurgum nonnulli fingunt [2].

Alii autem Dii coluntur. Bello quidem adversus Persas profligato, milites nautæque Athenas barbarorum deos introducunt, quorum peregrini Piræum ad mercaturas faciendas adeuntes cultum diffundunt. Novos jamjam comici poetæ, antiquos defen-

[1] Cf. GROTE, vol. XVII.

[2] Paul GIRARD, *L'Asclépéion d'Athènes*, Paris, 1881.

dentes, deos oppugnant. Fabulam scribit Aristophanes in qua novos deos et in his colendis nocturnas pervigilationes vexat, ut apud eum, ait Cicero (*de legg.*, II, 15), Sabazius et quidam alii dii peregrini judicati e civitate ejiciantur. Eupolis, Platoque comicus, Apollophanesque deam Thraciam nomine Cotytto, Astartemque Syriaticam, Adonidemque non semel irrident. Quidam autem, Plutarcho auctore (*Nicias*, 13), Phrygios sacerdotes secutus, cum silice, quum exercitus in Siciliam ab Atheniensibus mitteretur, genitalia ipse sibi amputat. Quod Alcibiades ejusque amici Eleusinia perverse imitantes, Hermis ipsis faciunt. Demosthenis præterea oratio pro Corona Æschinem cum matre Sabazii sacerdote, sacra tradentem initiatosque deinde noctu purificantem inducit (259.260). Theophrastus, Sabazium orantem, simul ac serpentem bucculentum vidit, superstitiosum fingit (27). Athenienses ipsi, mercandi causa, templum Ægyptios Isidi, Citiensesque Aphroditæ edere sinunt. Gravissime vero de iis qui novos, ipsis non concedentibus, introducunt deos [1] frustra decernunt, externorum quidem deorum cultus in dies Athenis invalescit [2]. Dierum autem festorum numerus cum deorum numero crescit [3], simulque crescunt eorum terrores qui antiquos progredientibus Græcorum moribus, perfectiores factos sicut impotentes relinquunt, novos tamen deos ad bona acquirenda malaque fugienda assidue invocant. De omnibus plurimi immolatores erraticos, vatesque consulunt, qui sacrificiis cantionibusve scelera dimittere malaque avertere et bona præbere possint. Religiosi quidem non jam esse volunt, superstitiosi autem evadent [4].

Alexandro autem Asiam occupante, novi Dii cognoscuntur moxque coluntur. Olympias, Alexandri mater, jam Sabazium adorabat, serpentesque familiares secum ducebat qui homines

[1] Quorum aliquos citat Foucart (*Des associations religieuses chez les Grecs, Thiases, Eranes, Orgéons*, Paris, 1873), quibus Socratem addere licet (Xen., *M.*, I).

[2] Quod apertissime explicant Foucart, *Op. cit.*, et Lafaye, *Du culte des divinités d'Alexandrie hors d'Egypte.*

[3] Cf. *Menandrum*, fr. 5. — J. Martha, *Les sacerdoces athéniens.* Paris, 1881.

[4] Quod explanat Foucart, Renan, Wescherque viris immerito obstantibus.

terrebant (Plut., *Alex.*, 3), eorumque de Alexandri ortu quæ postea dicta sunt rationem reddunt.

Asia autem Ægyptoque perlustratis, rex ejusque milites Medorum Persarumque et Ægyptiorum Indorumque atque aliorum populorum deos norunt eosque Diis patriis, qui impotentes habentur, præponunt ; Chaldæorum sacerdotum qui eum in Babyloniam introiturum negant consiliis utitur Alexander. Cujus quidem male valentis auxiliatores, deum sperantes per somnum ipsis an Alexandrum prope deum duci conveniat nec non significaturum, Serapidis in templo pernoctant.

Verum novi deterioresque fortasse dii eo tempore finguntur. Potentes enim homines qui Græciam gubernant deos habent adorantque plurimi, Euemeri animo quæ posthac de diis antiquis exposuit fortasse injicientes. Ammonis autem oraculum Alexandrum Dei filium dicit, Clitusque posteaque Callisthenes inter Græcos regem secutos, regem soli colere nolunt. Ceterique autem Græci Deum ipsi Alexandrum habent [1]. Heros deinde, oraculo Ammonis jubente, habetur Hephæstio cui splendidas ædes Alexandriæ, Pellæque dedicat ipse Alexander. Antigonum Demetrium ejusque filium, deos salvatoresque clamant Athenienses, eorumque sacerdotem anno nomen daturum constituunt, eorumque etiam imagines et facta cum Jovis Minervæque imaginibus et factis, sub veste splendida ad Panathenaicorum pompam ferenda, texi jubent. Aram quoque Demetrio in terram egredienti dicant ; templa vel altaria Demetrii uxori Philæ Aphroditæ, et amicis Leænæ et Lanniæ devovent. Quod iidem quibusdam ejus convictoribus faciunt (Plut., *Dem.*, 9, 11 ; Diod., xx, 47 ; Democh., *ap. Ath.*, vi, f. 253). Quum autem deinde Athenas redit Demetrius, cui theoriam ut Deo miserant Athenienses eo tempore quo Eleusinia celebrabantur, plus ipse quam Dea a populo colitur, qui eum pompis, carminibus, pæanibusque, choreis, bacchicisque odis excipit. Quorum quidem carminum unum ab Athenæo servatum, quæ de diis tum sentiebant plerique, nobis aperte ostendit : « prosodia, ait Athenæus

[1] Cf. Grote, v, 17.

Democharem secutus, et chori et ithyphalli cum saltatione et cantu obviam ei veniebant : et interdum subsistentes, medias inter hominum turbas, canebant saltabantque, accinentes ei, esse solum ipsum Deum, vere nominatum, quum dormirent alii Dii, aut peregre abierint, *aut nulli* essent omnino : eumque esse Neptuno et Venere prognatum, pulchritudine præstantem omnibus, beneficentia vero omnes complectentem : ὡς εἴη μόνος θεὸς ἀληθινός, οἱ δ'ἄλλοι καθεύδουσιν, ἢ ἀποδημοῦσιν, ἢ οὐκ εἰσίν· γεγονὼς δ'εἴη ἐκ Ποσειδῶνος καὶ Ἀφροδίτης· τῷ δὲ κάλλει διάφορος, καὶ τῇ πρὸς πάντας φιλανθρωπίᾳ κοινός (vi, 63). Durisque Samius, addit, Ithyphallicum carmen servavit :

ὡς οἱ μέγιστοι τῶν θεῶν καὶ φίλτατοι
τῇ πόλει πάρεισι.
Ἐνταῦθα γὰρ Δήμητρα καὶ Δημήτριος
ἅμα παρῆγ' ὁ καιρός.
. . . .
ὦ τοῦ κρατίστου παῖ Ποσειδῶνος θεοῦ
χαῖρε κ'Ἀφροδίτης.
Ἄλλοι μὲν ἢ μακρὰν γὰρ ἀπέχουσιν θεοὶ,
ἢ οὐκ ἔχουσιν ὦτα,
ἢ οὐκ εἰσὶν, ἢ οὐ προσέχουσιν ἡμῖν οὐδὲ ἕν·
σὲ δὲ παρόνθ' ὁρῶμεν·
οὐ ξύλινον, οὐδὲ λίθινον, ἀλλ' ἀληθινόν,
Εὐχόμεσθα δή σοι.
κ. τ. λ.

Demetrius etiam Minervæ hospes in Parthenone habitat, quem stupris fœdat ; Athenienses omnia quæ Demetrio placebunt, erga Deos sancta, erga homines justa esse decernunt (Plut., *Dem.*, 24).

Dii igitur antiqui videntur inermes : poetae, ut Euripides, in fabulis de diis dubitant [1], rerumque scriptores, ut Thucydides,

[1] Cf. J. Girard, *op. cit.* ; Zeller, ii, 14 sqq. — De poetis comicis, sculptoribus et pictoribus eo tempore florentibus, tractat Ravaisson, *Essai sur la métaphysique d'Aristote*, ii, 2.

de pietate civium perdita loquuntur; philosophorum alii unum, alii nullum Deum habent; pro diis perfectis bonisque vulgus homines potentes, minime autem sanctos, novosque deos sæpius nullum merentes cultum, veneratur. Vetus omnino religio evanescit, verum superstitio animos tenet, et magis magisque, ætatibus quidem progredientibus, eos tenebit.

CAPUT III

QUÆ E SUPERIORUM DE DIIS PHILOSOPHORUM PLACITIS REVERA COGNOVERIT EPICURUS.

Quæ igitur de diis sentirent, Epicuro quidem adolescente, philosophi et turba exposuimus. Philosophorum vero vulgique opiniones a nobis relatas Epicurus noscere potuit ?

Epicurus, dicit Diogenes Metrodoro auctore, filius fuit Neoclis unius e colonis quos ante Epicurum natum [1], Samium miserunt Athenienses. Sami natus, anno 342 exeunte vel 341 ineunte [2] videtur, ibique nutritum esse testabatur Heraclides Lembus in Sotionis Epitome [3] et usque ad duodevicesimum annum habitavisse. Cujus pater grammaticæ doctor fuit (STRAB., XIV, 178, f. 638). Quam etiam artem ipse, si Timoni (D. L., X, 3) Hermippoque (D. L., X, 2) credimus, exercuit.

Nonnulli vero eum male cultum fuisse contenderunt : verba propria quibus utebatur Epicurus, nimis ab usu communi re-

[1] STEINHART, in Ersch et Grüber's *Encyklopædie*, sect. I, v. 35, f. 461.
[2] ZELLER, III, 1, 363, n. 4.
[3] Uterque, secundo ante Christ. sæculo fere peracto, vixit, cf. V. EGGER, p. 35.

mota culpabat Aristophanes grammaticus (D. L., x, 13); Epicurum multa ignoravisse plerique dixerunt : ἐγκυκλίου παιδείας ἀμύητος ὤν, ait Athenæus (xiii, 588, *a*); ἐν πολλοῖς... ἀμαθὴς Ἐπίκουρος ἐλέγχεται, οὐδὲ ἐν ταῖς κοιναῖς ὁμιλίαις καθαρεύων, ait Sextus Empiricus (*Math.*, i, 1). Quem Cicero præsertim oppugnat : « Vellem equidem, inquit, aut ipse doctrinis fuisset instructior (*de finib.*, i, 7)... est enim... non satis politus iis artibus, quas qui tenent eruditi appellantur... aut ne deterruisset alios a studiis (*de Fin.*, i, 26) ». « Disciplinas, inquit ipse Quintilianus, omnes fugit (*Inst. orat.*, xii, 2). » Qui omnes Epicuri ignorantiam dicendo amplificaverunt [1]. Epicurus enim grammaticæ doctoris filius, ipse fortasse grammaticæ doctor, omnino rudis esse nequibat. Homerum Hesiodumque nonnullosque alios, præsertim qui γνωμικοί vocantur, poetas ipse legere debuit discipulisque legendos tradidit.

Verum probabiliter videtur ipsum artes quæ eruditos faciunt, tanquam vitæ inutiles contempsisse. Apollodorus enim, in primo de Epicuri vita libro, nobis tradidit Epicurum ad philosophiam se contulisse contemptu ludimagistrorum, quod percontanti quidnam esset apud Hesiodum chaos, exponere non potuissent. Quod fecerat, ut ipse aiebat, duodecim (Suidas) aut quatuordecim (D. L., x, 2) annos natus. Quem contemptum in eos qui elegans dicendi genus poesimque docebant susceperat, eumdem mox in ea ab iis docenda concepit. Fortasse nunquam dixit, ut contendebant adversarii ipsum accusantem : « omnem autem disciplinam, o bone, expansis velis omnibus fuge » (D. L., x, 6) [2] ; verum dialecticam tanquam inutilem rejicit (D., 31) nec quidquam aliud in libro de Rhetorica quam perspicuitatem orationis studio quærendam monet (13) [3].

[1] Cf. Gassendi *Syntagma*. — Eadem fere adversus novatores et sæpe immerito dicuntur. De Cartesio dicit Arouetius : « n'ayant jamais rien lu, pas même l'Evangile », dum Cartesius ipse, primi operis sub initio, multa legisse fatetur.

[2] Quæ in Epistola ad Pythoclem legebantur, ait Diogenes ; nulla iis autem similia legimus in Epistola de meteoris, Diogenesque, hoc in loco, de epistolis quas Epicuro tribuebant Diotimus et Posidonius, Nicolaus, Sotioque et Dionysius Halicarnassensis dicere videtur. Quas Epicuri fuisse negat Diogenes, nos autem utrum fuerint necne dicere nequimus.

[3] Quod fortasse rationem reddit eorum quæ continuo in Epicurum Cicero, phi-

Physicis autem tantum studet ipse, discipulosque studere jubet ut terrores quos cælestia morsque in nos injiciunt fugere possimus, finesque dolorum et voluptatum intelligamus (142). Carmina non facere debet sapiens, poetasque falsam religionem canentes increpat : Ἐπίκουρος ἅπασαν ὁμοῦ ποιητικὴν ὥσπερ ὀλέθριον μύθων δέλεαρ ἀφοσιούμενος (Heracl., *Alleg. Hom.*, c. 4). Quorum errores Philodemus epicureus, prima in parte περὶ εὐσεβείας operis, longius refellit. Solum tamen arbitratur sapientem recte de musica et poetica verba facturum (121). Epicurus quidem scientiam et artes quæ ad vitam beatam nihil pertinent contemnit, quæ autem ad bene beateque vivendum utiles esse possunt eas laudat, quo modo eas adeundas conveniat, discipulis ostendit. Carmina ipse scribit Philodemus, Lucretiusque poesi utitur, mellis instar quod amara temperat, quo Epicuri placita facilius a civibus accipiantur ; musica denique, auctore Philodemo, in Epicureorum conciliis, maximum locum tenet.

Qui inter utilia et inutilia ad bene beateque vivendum se discernere contendit eaque revera discernit, rudis fuisse non potest : utraque quidem, ut ceteri pueri, didicisse debebat[1].

Epicurum etiam puerum una cum matre domos circuisse carmina piacularia præeuntem ferunt adversarii (D., x, 4). Quod quidem cum aliis a Timone Hermippoque (2 et 3) traditis junctum[2], nobis verisimile videtur. Talia[3] quum efficeret Epicurus, Samiorum terrores cognovit stultasque superstitiones quibus deos in se iratos placari censebant, propius inspicere

losophus sane non despiciendus, sed præsertim orator qui placita ea eligit quæ ad orationem ornandam maxime prodesse possunt. Cf. in secundo *De Natura Deorum* libro a nobis edito, Introductionem.

[1] Cf. de Finib., i, 21, 71 : Nullam eruditionem esse duxit, nisi quæ beatæ vitæ disciplinam adjuvaret in quibus (Musica, Geometria, Arithmetica, Astronomia) nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio quæ et a falsis initiis profecta vera esse non possunt, et si essent vera, nihil afferrent, quo jucundius, id est, quo melius viveremus.

[2] καὶ σὺν τῷ πατρί γράμματα διδάσκειν. Diogenes hoc in loco, Stoïcos secutus, ut ait ipse, addit λυπροῦ τινος μισθαρίου.

[3] Cf. supra p. 25.

potuit. Inde inimicissimus evasit opinionibus de diis popularibus, quæ homines reddebant infelices deosque ipsos fingebant imperfectos, sibique proposuit deos e natura rerum vitaque hominum propellere, mortalibusque quietem felicitatemque simul restituere.

A duodecimo aut quarto decimo anno quo philosophari cœpit, usque ad duodevicesimum annum, quos philosophos audiverit aut legerit Epicurus ad theologiam restituendam magnum intersit. Qui quidem magistros se habuisse negat et in Epistola ad Eurylochum non nisi semet ipsum se audivisse dicit (D. L., x, 13). Omnes autem testes ipso ab Epicuro dissentire nos cogunt. Qui fortasse talia dicebat eorum instar qui dicendo vera amplificantes omnia ipsum a Democrito Aristippoque hausisse contendebant (D. L., x, 4). Fortasse etiam se priores philosophos nihil aliud quam audivisse, non autem legisse negare contendebat. Quod saltem de Democrito verisimile nobis videtur, cujus opera, quum grammaticam doceret, evolverat. Zeller quidem (III, 1, 365 n. 3) Hermippum, quum libros Democriti lectos ad philosophiam duxisse Epicurum dicit (D. L., x, 2), conjecturam tantum fecisse putat ; Epicurum autem adolescentem Democriti opera cognovisse nemo negare audet. Sami etiam Pamphilum Platonicum (D. L., x, 14) audivit, quodque de eo refert Cicero : *Hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus*, eum contemptum ab Epicuro, non autem ignotum fuisse ostendit. Quo fortasse cognito, Athenas circa 324 aut 323 ante Christum petit Epicurus. Tum Academiæ præerat Xenocrates, Aristotelesque, ut fert Heraclides, qui Sotionem breviter contrahit (D. L., x, 1), philosophiam Chalcide docebat. Epicurus Xenocratem audire potuit, ut ait Cicero (*N. D.*, I, 27, 72), Demetriusque Magnesius [1] apud Diogenem ab Epicuro revera Xenocratem auditum esse dicit. Alii quidem quos Cicero, quo fortius Epicurum oppugnet, potissimum sequitur (*nihil olet ex Academia*) id negabant. Alexandro autem mortuo, quum Samos post Athenas victas colonis olim ab Atheniensibus missis rapta

[1] Qui fere Ciceronis æqualis fuisse videtur. Cf. NIETZCHE, *De Laertii Diogenis fontibus* atque V. EGGER, *op. cit.*, p. 40, 73.

esset, Epicurus Colophonem ad patrem assequendum pergit. Simul fere Samum coloni pulsi et pauperes Athenienses linquere debuerunt [1]. Ibique diu habitavisse videtur [2], qui circa 310 Mytilenas petit. Nausiphanem Pyrrhonis discipulum, eo tempore quo Athenis relictis nondum Mytilenas petiverat, cognoscere debuit. Pyrrhonem enim ante 322 non audivit [3] Nausiphanes ille qui magister ipse, Athenis jam ab Epicuro relictis, esse tantum potuit. Nausiphanis autem discipulum fuisse Epicurum in dubium, nemini attente Diogenem aliosque scriptores legenti, venire potest. Nausiphanes primum, Diogene auctore (ix, 64), dicebat sæpenumero Epicurum conversationem institutumque Pyrrhonis admirantem , ipsum de eo percontari assidue solitum. Quod quoque Aristo confirmat, qui in Epicuri vita eum Nausiphanis auditorem fuisse ejusque Tripode Normam (Κανόνα) descripsisse. Aristoni non credere possumus quum furatum Epicurum esse dicit, verum nihil est cur ei diffidamus Epicurum Nausiphanis discipulum fuisse dicenti, quando Apollodorus in *Chronicis* (D. L., x, 13), Ciceroque (*in Nausiphane Democriteo tenetur*, *N. D.*, i, 26) et Sextus (*Math.*, i, 3) idem affirmant. Cicero quidem et Diogenes (*N. D.*, i, 26, D. L., x, 7 et 8) Epicurum contumeliam in Nausiphanem jactavisse dicunt eo quod Nausiphanes Epicurum a se doctum profiteretur. Verum apud Diogenem, a tertio capite (Διότιμος δέ ὁ Στωϊκὸς) usque ad nonum, ea quæ ab Epicuri adversariis dicebantur [4] fideliter referuntur, qui maledicta in ceteros philosophos ei tribuebant ut Stoicos, Academicos, Peripateticos et Pyrrhoneos ipsos ad oppugnandum Epicurum consociarent, quæ vero Diogenes in universum redarguit : hi, inquit, profecto insaniunt, μεμήνασι δ' οὗτοι. Fingamus etiam ea dixisse Epicurum adversus Nausiphanem, ita non fit ut Epicurus Nausiphanis discipulus fuisse negetur, eaque contra rem manifesto

[1] Cf. supra p. 39. — Quod Diogenis verba aperte explanat quodque nunquam historiæ scriptores a nobis cogniti notaverunt.

[2] Alias fortasse Ioniæ colonias circumivit.

[3] Quod longius explicavimus in nostro opere, « *Le scepticisme dans l'antiquité*, C. Waddington, *Mém. de l'Ac. des sc. m. et pol.* sequentes.

[4] Cf. supra p. 26.

ostendunt ; nam quem cognoscunt solum impugnant. Quid autem ex Nausiphane hausit Epicurus? Nausiphanes aiebat oportere affectus quidem esse Pyrrhonei, sui ipsius autem verborum, ἔφασκε γοῦν γίνεσθαι δεῖν τῆς μὲν διαθέσεως τῆς Πυρρωνείου, τῶν δὲ λόγων τῶν ἑαυτοῦ (D. L., IX, 64). Pyrrhonis primum moralia admiratus est, quæ ad Democritea legenda ipsum denuo adduxerunt. Quæ Nausiphanes ipsius propria dicebat, e Democrito revera hauserat, qui inter Democriteos jure a Diogene numeratur (*Prooemium*, 15).

Triginta autem et duo annos natus Mytilenas petit, scholamque ibi instituit, ut refert Diogenes (x, 15) testaturque epistola ad Mytilenenses philosophos missa (x, 136). Tum forte Hermarchum, virum Mytilenæum ipsius successorem, ad se allexit. Lampsacum deinde habitavit in qua discipulos sane habuit Metrodorum ejusque fratrem Timocratem, qui postea scholam deseruit, Coloten, Polyænumque, Idomeneum et Leonteum, ejusque conjugem Themistam, quos Lampsacenos omnes dicit Diogenes (24 et 25).

Athenas tandem, fratribus discipulisque et pueris eum sequentibus, ante medium trecentesimum et sextum annum, Epicurus rediit (ZELLER, III, 1,365, n. 5). Qui, Heraclide quidem auctore, ceteris philosophis aliquo tempore se miscuit (D., x, 2) ; deinde docuit ipse et circa 270 Athenis mortuus est.

Aliorum autem philosophorum placita noscere debuit. Nausicydem Praxiphanemque Epicuri magistros dicit Apollodorus in Chronicis (D., x, 14). An divisus sit Nausiphanes ad *Nausi*cydem Praxi*phanem*que fingendos necne, nescimus. Democriteus quidem Nausicydes (D., *proœm.* 15) nominatur nihilque novi Epicuro tradere debuit. Praxiphanem autem ab Apollodoro citatum eumdem esse qui, ut putat Hirzel (I, 165), Peripateticus Theophrasti discipulus, junior Epicuro esse debebat, minime credendum nobis videtur (ZELLER, 364, n. 2). Epicurum quidem quum primum Athenas venisset, aut ab anno 323 usque ad 310, Aristotelis opera saltem attigisse probabile est. Hermarchus enim libros adversus Aristotelem composuerat, Colotes et Philodemus Velleiusque apud Ciceronem etiam Aristotelem

oppugnant qui, ceterorum Epicureorum instar, magistrum, Plutarcho auctore[1] (*N. p. s. viv. sec. Ep.*) hoc facientes, fideliter sequebantur. Aristippi quidem de voluptate libros ut suos (D., x, 4) non asseruit, ejus autem placita, quæ sæpius confutavit (D., x, 136), perpendere debuit. Cynicorum etiam sententias cognovit Epicurus qui, in secundo de Vitis libro, sapientem non Cynicorum rationem secuturum (D. L., x, 119)[2] posuit, cujusque discipuli Philodemus Velleiusque Antisthenem reprehendunt. Adversus Megaricos librum (πρὸς τοὺς Μεγαρικοὺς διαπορίας x, 27) scripsit Epicurus, Stilponemque nominatim et ipse, ut testatur Seneca (9. 1, *hoc objicitur Stilponi ab Epicuro*), et Colotes, ut ait Plutarchus (*adv. Col.*), invecti sunt. Ante Socratem philosophos fere omnes qui floruerunt cognovisse videtur Epicurus. Quem inter Ionios philosophos ponunt Diogenes, anteaque Timo qui eum ultimum ex physicis et pessimum nominat (D. L., x, 3). Epicurus enim librum Ἀναξιμένην inscriptum edidit[3], maximeque, auctore Diocle, ex antiquis amplectebatur Anaxagoram, etsi in quibusdam illi contradixerit[4] et Archelaum Socratis magistrum (D. L., x, 12). Heraclitum oppugnant Philodemus Velleiusque, eumque ab Epicuro turbatorem (κυκητήν) nominatum ferebant (D. L., x, 8). Hermarchus Epistolica de Empedocle viginti duo scripserat (D. L., x, 25), Colotesque, Lucretius, Philodemus et Velleius Empedoclis censuram egerunt. Pythagoræ et Eleatarum placita a Colote[5] et Philodemo Velleioque reprehensa noscere Epicurum probabile est, qui Sami in patria Pythagoræ Melissique et Colophone in Xenophanis patria diu vixit. Protagoræ quem bajulum appellavisse Epicurum putant (D. L., x, 8), Prodicique quos una notant Philodemus et Velleius, opera evolvisse Epicurus videtur.

[1] Diogenes Epicuri adversarios secutus dicit eum vocavisse Aristotelem prodigum, qui patrimonio consumpto militasset et medicamenta vendidisset (x, 8).

[2] Cynicos, adversariis auctoribus, inimicos Græciæ et dialecticos nimium invidos dicebat Epicurus (D. L., x, 8).

[3] Anaximenem oppugnant Philodemus et Velleius.

[4] Quod pariter faciunt Lucretius et Philodemus Velleiusque.

[5] Plutarch., *Adv. Colot.* atque, *Non posse suav. vivi sec. Epic.* (passim).

Denique in Socratem Ethices quidem conditorem pugnavit, quem discipuli etiam Colotes, Philodemus et Velleius, simul ac Xenophontem culpaverunt. Zenonemque Stoïcorum principem, qui scholam circa 309 instituit, fortasse audivit Epicurus, quum Athenas rediens per aliquod tempus cum ceteris in commune philosopharetur, cujusque saltem sententias, quas Epicurei continuo confutare tentaverunt, postea cognovit.

In summa autem Epicurus, theologiam saltem a se ceteris philosophiæ partibus præpositam Ioniorum et Pythagoræ, Empedoclis et Democriti, Anaxagoræ Protagoræque et Prodici, Socratis et Cyrenaïcorum, Cynicorumque et Megaricorum, Platonis Aristotelisque et Pyrrhonis Zenonisque etiam non nescire debuit. Quorum quidem sententias fideliter exponere omninoque etiam intelligere raro conabatur Epicurus, ut nobis Philodemum Ciceronemque legentibus clare apparet, verum de diis præsertim eorum placita curiosius inspexit, quædam quidem vituperavit, alia autem ad doctrinam constituendam sibi assumpsit.

SECUNDA PARS

EPICURI THEOLOGIA

CAPUT IV

QUOMODO DEORUM NOTIONEM NOS HABERE DICAT EPICURUS DEOSQUE ESSE AFFIRMET.

I

Deos esse affirmat Epicurus : *θεοὶ μὲν εἰσίν*, ait in epistola ad Menœceum, *ἐναργὴς δ' ἐστιν αὐτῶν ἡ γνῶσις ;* posteaque inter *προλήψεις* quæ nos de deorum existentia certiores faciunt et *ὑπολήψεις ψευδεῖς* quas naturam divinam fingendo vulgus sequitur, diligenter discernit. Ut dii sint manifestum reddere tentat Epicurus, qui primo omnium consensum invocat. Docti enim et indocti homines diis omnes credunt : *quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat anticipationem quamdam deorum?... maneat ad unum omnium firma consensio... quod fere constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam indoctos*, dicit, apud Ciceronem, Velleius Epicureus. Deorum etiam notitia neque a magistris (sive doctrina, sive instituto), neque more[1] nobis insita est. Quod ar-

[1] Cf. PHILOD. (Gomp., 128) οὐ μόνον διὰ τοὺς νόμους, ἀλλὰ διὰ φυσικὰς αἰτιάς.

gumentum Academiæ novæ defensores infirmare nitebantur : unde, dicit Cotta, Carneadis instar, notæ tibi sunt opiniones nationum? Nonne verisimile est multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit? Interque homines minime agrestes, Diagoras et Theodorus et Protagoras omnesque sacrilegi, impii, perfidique dici possunt diis credidisse? Neque Epicurus, neque ejus discipuli ea diluere tentaverunt, quæ adversus omnium consensionem dicere poterant, ii qui post Protagoram, Diagoræ quidem et Theodori fere æquales, vivebant. Dialecticam enim contemnentes [1], omnia quæ vera habebant, quibusdam etiam repugnantibus, simpliciter firmiterque ponebant.

Omnium autem consensu jam frequenter usus erat Aristoteles : *κράτιστον*, ait (*Eth. Eud.*, I, 6), *μὲν πάντας ἀνθρώπους φαίνεσθαι συνομολογοῦντας τοῖς ῥηθησομένοις, εἰ δὲ μή, τρόπον γέ τινα πάντας, ὅπερ μεταβιβαζόμενοι ποιήσουσιν· ἔχει γὰρ ἕκαστος οἰκεῖόν τι πρὸς τὴν ἀλήθειαν· ἐκ γὰρ τῶν ἀληθῶς μὲν λεγομένων, οὐ σαφῶς δέ προιοῦσιν ἔσται καὶ τὸ σαφῶς, μεταλαμβάνουσιν ἀεὶ τὰ γνωριμώτερα τῶν εἰωθότων λέγεσθαι συγκεχυμένως*. Ad sedem etiam deorum statuendam, illud argumentum adhibuerat [2] : Stoici ad Deorum existentiam legemque naturalem et divinationem probandam, omnium consensum adhibent quo pariter usi sunt Epicurei, dum deos esse voluptatemque vitæ esse finem contendebant. Si Velleio autem credimus, Epicurus qui *primus* verbum πρόληψιν usurpavit, *solus*que vidit primum deos esse, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura, omnium gentium consensione ad deos probandos primum usus esset. Verum Epicureo ad magistrum aliquid referenti sæpe diffidere convenit, nec quisquam alius testis ante Zenonem, Epicurum illud argumentum adhibuisse confirmat. Quo autem uti sponte poterat uterque, quippe qui animum infantis tabulam rasam duceret in qua nihil adhuc scriptum sit veramque igitur quamlibet habere notionem debe-

[1] Cf. CICER., præsertim *de N. D.*, I, XXXII. DIOG. LAERT., X, 31, τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν.
[2] Cf. supra p. 37.

ret quam omnes affirmant : *de quo omnium natura* (= *omnes*) *consentit*, *id verum esse* necesse est. Illud enim integrum, ne quidem minime deformatum, in animis natura ipsa impressit. Homines autem πρόληψιν, id est prænotionem, anticipationem, vel anteceptam Dei quamdam informationem, in se inveniunt. Velleius quidem *insitas*, vel potius *innatas* cognitiones adhibet, quæ verba apud Ciceronem et recentiores idem quam minime significant. Nihil enim plane loquentes innatum putare possunt Epicurei qui, hoc verbo utentes, nihil aliud indicare volunt quam deorum notionem in nos, non ex aliis hominibus venire, sed simul atque animum natura crescere. Verbum autem *insitas* rei explicandæ aptius nobis videtur ; nam quo modo Deorum notio, Epicureis quidem judicibus, in nobis adsit, aperte ostendit. Quæ sit enim illa πρόληψις ab Epicuro inventa, nos docet Diogenes : Anticipationem dicunt, inquit, veluti comprehensionem sive opinionem rectam sive cogitationem (ἔννοιαν), sive universalem intelligentiam insitam (καθολικὴν νοήσιν ἐναποκειμένην), quæ memoria est ejus rei quæ sæpe extrinsecus apparuit (τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος) (33). Quæ a sensibus jam perceptis ortum ducit (προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων) veraque, ut ipsi sensus, semper est : ait igitur in Canone criteria veritatis esse sensus et anticipationes (31) in rebus cognoscendis, tanquam affectus (πάθη) in rebus faciendis ; Dii igitur sæpe nobis apparuerunt ante quam Deorum notio in animis nostris imprimeretur. Quo autem modo fiunt illæ φαντασίαι quæ πρόληψιν gignunt ? Quum de rebus naturalibus agitur, ita nascitur sensus : corpora imagines emittunt quæ cum membranis, quas vetuli nascentes emittunt, vel cortice, vel anguis veste comparandæ sunt (D., x, 46, Lucr., iv, 42, 107). Quæ imagines a Democrito Epicuroque εἴδωλα, a Macrobio corporum exuviæ, a Catio spectra nominatæ [1], easdem formas quam res ipsæ unde mittuntur habent (τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις (D., 46), eamdemque positionem atque eumdem ordinem servant (τὴν ἑξῆς θέσιν καὶ τάξιν διατηροῦσαι, ἥνπερ καὶ ἐν τοῖς στερεμνίοις εἶχον).

[1] Cf. Lucret., *Effigies, simulacra, imagines*. Quintil, x, 215, *Figuras*, Virgil. iv, 472, *simulacra* luce carentum.

Nullo autem alio quam atomorum ῥυσμῷ vel σχήματι, διαθιγῇ vel τάξει, τροπῇ vel θέσει apud Democritum (Arist., *Mét.*, A. 4) et Epicurum (D. L., *pass.*) res inter se differunt. Imagines autem a rebus quæ ipsas mittunt discerni non possunt. Aliaque simulacra nascuntur quum atomorum subitæ concretiones in aere sponte fiunt, quumque simulacra jam formata colliduntur et in unum coalescunt. Perpetuo autem a corporum superficie manant simulacra quæ tenuissima quam celerrime moventur (D., 48, Lucr. iv, 88, 116, Woltjer, 81). In oculos ea simulacra permanant nosque statim videmus, usque etiam ad animum penetrant ipsique cogitamus[1] : ἐπεισιόντος τινός ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, τὰς μορφὰς ὁρᾶν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι (D., x, 49) ...De corpore quæ sancto simulacra feruntur, In mentes hominum divinæ nuntia formæ (L., vi, 76).

Difficillime[2] autem fingimus talia simulacra e Deorum corpore manantia, qui non corpus, sed quasi corpus habent, perpetuoque in intermundiis beate vivere debent[3]. Quo nunc omisso, sensus qui Deorum notionem gignunt accuratius definire nitamur. Quod verbum *sensus* alienum primo videtur. Deos, ait Diogenes, cogitatione, non sensu percipimus, τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, idemque dicunt Lucretius, *vix mente cernatur*, Velleius apud Ciceronem, *mente cernatur*, Plutarchus Stobœusque[4]. Quod ad probandum duo ponunt e ceteris Epicuri placitis hausta : primo deorum quidem tenuitatem (*Lucretius, Cicero*, *Plutarchus*, *Stobœus*) ; deinde nihil sensile æternum esse, διὰ τοῦτο γὰρ οὐδὲν αἰσθητὸν ἀθάνατον (Metrodorus, *Vol. Herc.*, vi, p. 2).

Quo tempore Dii nobis apparent ? Die ac nocte, vigilanti-

[1] Gassendi (*syntagma*, 47) quæ ad animum penetrant tenuiora esse quam ea quæ sensus gignunt contendit. Quæ nobis tradita sunt id negare aut affirmare non sinunt, Diogenesque nullo discrimine simulacra citat. Lachmann quidem inter ea discrimina ponere nititur quod jure, nostra sententia, non admittit Woltjer.

[2] Quomodo ea simulacra corporibus similia fieri possint κατὰ τὸ ἐναρμόττον μέγεθος εἰς τὴν ὄψιν nescimus.

[3] Cf. infra, cap. 6.

[4] Cf. infra, c. v, § 4.

bus aut dormientibus sæpe Deorum occurrunt formæ. Talia enim asserit Lucretius :

> divom mortalia sæcla
> Egregias animo facies *vigilante* videbant,
> Et magis *in somnis* mirando corporis auctu (V. 1166).

Item Velleius apud Ciceronem : « quæ enim forma alia (quam humana) occurrit unquam aut vigilanti cuiquam aut dormienti (*N. D.*, I, 36); sæpe voces exauditæ, sæpe visæ formæ deorum » (166); Sextusque : Ἐπίκουρος δὲ ἐκ τῶν κατὰ τοὺς ὕπνους φαντασιῶν οἴεται τοὺς ἀνθρώπους, ἔννοιαν ἐσπακέναι θεοῦ· μεγάλων γὰρ εἰδώλων, φησι καὶ ἀνθρωπομόρφων κατὰ τοὺς ὕπνους προσπιπτόντων ὑπέλαβον καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑπάρχειν τινὰς τοιούτους θεοὺς ἀνθρωπομόρφους (*Adv. Math.*, IX, 25). Epicurei itaque cum vulgo nonnullisque philosophis [1] de diis per vigiliam visis conveniunt, notionemque Deorum ex eorum præsentiarum memoria hausisse putant homines.

Præter ea quæ nunc adhuc ad deos affirmandos nos cogunt, alia primos homines ad deos quidem ponendos, sed simul ad falsas eorum notiones concipiendas, adduxerunt. Lucretius inscientiam et terrorem maxime valuisse apud recentes homines ad religionem eam constituendam, quæ scelerata atque impia facta pepererit, aperte docere conatur:

> Ita formido mortales continet omnes,
> Quod multa in terris fieri cæloque tuentur
> Quorum operum causas nulla ratione videre
> Possunt, ac fieri divino numine rentur. (I. 145 sqq.)

Secundoque in libro dicit :

> At quidam contra hæc, ignari materiai
> Naturam non posse deum sine numine credunt

[1] Quæ supra de vulgo dicimus Democritoque et Aristotele vide. Cf. LIV., XXI, 62, XXIV, 10 ; DION. HAL., *A. R.*, II, 68 ; OVID., *Met.*, VIII, 626 ; CELSUS, *apud* ORIG., VII, 35, qui Epicureus diu immerito creditur, in Amphiarai amphitheatro Mopsum, Triphonium ἀνθρωποειδεῖς θεωρεῖσθαι θεούς, οὐ ψευδομένους ἀλλὰ καὶ ἐναργεῖς narrat ; homines adhuc viventes dicit quibus Æsculapius olim apparuit (III, 24) omnemque vitam iis Deorum præsentiis repertam esse addit (VIII, 45).

Tanto opere humanis rationibus admoderate
Tempora mutare annorum frugesque creare,
Et jam cetera, mortalis quæ suadet adire
Ipsaque deducit dux vitæ dia voluptas
Et res per Veneris blanditur sæcla propagent,
Ne genus occidat humanum. Quorum omnia causa
Constituisse deos quum fingunt, omnibu' rebus
Magno opere a vera lapsi ratione videntur. (165 à 176.)

Quinto autem in libro deorum notionem ita ortam denuo exponit, falsissimamque et quam maxime perniciosam esse monstrare nititur :

Præterea cæli rationes ordine certo
Et varia annorum cernebant tempora verti
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.
Ergo perfugium sibi habebant omnia divis
Tradere, et illorum nutu facere omnia flecti.
In cæloque deum sedes et templa locarunt,
Per cælum volvi quia nox et luna videtur,
Luna dies et nox, et noctis signa severa
Noctivagæque faces cæli flammæque volantes,
Nubila, sol, imbres, nix, venti, fulmina, grando
Et rapidi fremitus et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum, etc. (1183 sqq.)

Primus in orbe Deos fecit timor, postea dicet Petronius (*frag.* V, III, 661)[1]. Quod Epicurei sane acciperent qui populares deos fecisse inscientiam et terrorem libenter affirmarent[2].

[1] Cf. Statium, *Theb.*, III, 661.

[2] Ea apud Epicurum (Diog., *pass.*) suspicamur. Cf. quæ de Democrito, Platone et Aristotele supra retulimus ; in Pseudo-Plutarcho (*de plac. ph.*, 879, E) quæ de deorum notitiæ origine senserint antiqui, reperimus : ii qui cultum deorum nobis tradiderunt, eum exposuerunt nobis per tres formas, naturalem, fabulosam, per testimonium legum ...atque naturalem philosophi, fabulosam poetæ docent, leges suas singulæ constituunt civitates. Dividitur autem tota doctrina in septem partes. Prima est eorum quæ in cælo et sublimi fiunt observatio : homines enim cœperunt Deum agnoscere quum viderent stellas tantam concinnitatem efficere, ac dies noctesque, æstate et hieme suos servare statos ortus et obitus, et inde terram ex se animantia et fructus proferre. Itaque pro patre Cælum, pro matre Terram acceperunt : patrem nimirum aera, quod aquam instar seminis effunderet, matrem autem terram, quod conciperet et pareret : Quumque viderent *stellas perpetuo moveri et in causa* nobis esse ut solem et lunam contemplaremur, deorum iis nomen fuerunt a currendo (θέειν) ductum. Secundo et tertio loco deos

II

Qui deorum notionem habet, Deos esse statim credere debet. Dum enim sensus ea indicare quæ sentimus Academici, Sceptici, Stoici et Epicurei concedunt, eorum contra causas (τὸ πεποιηκός), sensus monstrare negant Academici, neque affirmant neque negant Sceptici, easque solos monstrare quos comprehensibiles nominant (καταληπτικοὺς φαντασίας) putant Stoici ; Epicurei id sensum esse dicunt quod simul ipsum ipsiusque causam patefacit (ἐνδεικνύμενον ἑαυτό τε καὶ τὸ πεποιηκὸς). De notione etiam (προλήψει) eadem affirmant : sensus enim et anticipationes veritatis notas, ut jam retulimus, constituunt Epicurei. Animalia igitur existere debent quæ ea nobis simulacra nocte dieque apparentia continuo emittant. Simulacra tamen non e corpore manantia, sed in aere spontaneo atomorum concursu vel aliorum simulacrorum conjunctione formata, nobis sæpe occurrunt : Centauri enim et Scyllæ, Cerberi eorumque larvæ quos servat terra, nonnunquam nobis apparent (Lucr., iv, 720, sqq.). Simulacra ergo Deorum notionem fingentia esse possent quum autem Dii non essent. Quod enim sæpius Epicureis objectum est,

distinxerunt in utiles et damnosos : utiles ut Jovem, Junonem, Mercurium, Cererem ; damnosos, Diras furias, Martem quos, ut violentes et sævos placant sacris atque avertunt. Quartum et quintum genus rebus assignaverunt et motibus animi, ut Amori, Veneri, Desiderio, rebus spei, Justitiæ, Æquitati. Sextum locum commenta poetarum occupaverunt. Hesiodus enim quum genitis diis vellet patres dare, ejusmodi deorum genitores protulit : Cæumque, Induperantem, Hyperionaque, Japetumque... Itaque hic locus fabulosus dicitur. Septimus et ultimus iis est tributus, qui ob beneficia in usum communis vitæ collata honoribus divinis sunt affecti, humano nati more, ut Hercules, ut Castor et Pollux, ut Bacchus. Formam humanam diis ascripserunt quia omnium rerum principatus est penes Numen et præstantissimum idem quippe eximie ornatum virtute propter Mentis dotem. Itaque censuerunt similiter deos, ut principes virtute decere præstantissinuam formam, id est humanam.

Cf. Sext. Empir., *adv. Phys.*, ix, 14 ; Cf. Decharme, *Mythologie grecque*. Quæ invocat ad notionem deorum explicandam Epicurus, invocant hodie Spencer, *Principes de sociologie*, x ; Lubbock, *Les origines de la civilisation* : « l'idée de religion chez les sauvages s'associe toujours, on pourrait même dire que c'est là sa seule origine, à l'état de l'homme pendant le sommeil et surtout aux rêves » ; Tylor, *Primitive Cultur.*, i, p. 449.

qui hominum consensionem dum deos esse, et humana specie indutos, beatos æternosque testantur, valere quidem putabant, ceteraque contra a poetis vulgoque et philosophis eamdem notionem ponentibus jam Diis tributa refellere conabantur. Quemadmodum enim sensum semper verum ab opinione, quæ vera aut falsa esse potest, accurate discernunt (D. L., x, 50, 147, Sext. Empir., *adv. Math.*, vii, 211 ; Ps.-Plut., *de plac. ph.*, 899 F), ita πρόληψιν æque ac sensus ipsam parientes veram ab ὑπολήψει quæ velut opiniones eam gignentes ipsa vera aut falsa esse potest, diligenter sejungunt. Quæ quidem deos esse humana specie indutos beatitudineque perpetua fruentes ponunt, ea notionem veram (πρόληψιν) constituunt ; cetera autem immerito, judice Epicuro, Diis tributa ὑπολήψεις ψευδεῖς tantum sunt (D. L., x, 123). Quo tamen modo, ait Sextus, a vera δόξα falsam, a προλήψει etiam ὑπόληψιν discernere possumus ? Stoici quidem, contra quos similia fere dicebantur, hæc solvere ita nitebantur : « Opinio, aiebant, de diis immortalibus et omnium est, et quotidie crescit, ceteræ autem opiniones fictæ atque vanæ diuturnitate extabuerunt ; quis enim hypocentaurum fuisse aut Chimæram putat ? » (Balbus ap. Cicer., *N. D.*, ii, c. 2). Taliane Epicurus proferret necne, nescimus [1]. Nihil aliud quam denuo eadem affirmavisse, quum aliquid ipsi objiceretur, fidemque vocavisse Epicurus fecisse videtur. « Nihil, in Epistola ad Menœceum ait ipse, Deo aut ab immortalitate alienum aut a beatitudine applica ; ceterum omne quod illius cum immortalitate beatitudinem servare possit, de eo crede, δόξαζε. » (D., x, 123.)

Illi etiam argumento alterum, quod præter exspectationem apud ipsum reperitur, jungit Epicurus. Qui enim in templis ædibusque etiamque per vias Deorum pulchras imagines Athenis quotidie videbat mirabaturque, ut tam perfectas aliquo loco naturas esse vitamque degere beatissimam negaret animum inducere non poterat. « Perfectus, ait Epicurus, qui fingitur,

[1] Velleius quidem objecta refellere tentat quæ nunc hodie adversus eos qui e Deorum notione Deos esse firmant (*N. D.*, i) : « Quum enim non *instituto aliquo*, aut *more*, aut *lege* sit opinio constituta ». Quæ priorum præsertim sophistarum interpretationes negant. Philodemi ipsius verba διὰ τὰς φυσικὰς αἰτίας ad idem spectare videntur.

necessario est ». « Placet enim Epicuro, ait Balbus apud Ciceronem (*N. D.*, II, XVII), esse deos, quia necesse sit præstantem esse aliquam naturam, qua nihil sit melius. » Qui saltem fontem sæpissime agnitum nobis apparet argumenti quodam modo posuisse quod, ontologicum postea dictum, apud Anselmum, Cartesium, Spinozam et Leibnitzium, tanti valuit.

Theologia itaque longe alia nunc nobis apparet, Dii enim imagines perfectissimas, ad beatitudinem virtutemque consequendas, sapienti continuo præbent : Beatissimi enim sunt (ἀκροτάτη εὐδαιμονία ἐπίστασιν οὐχ ἔχουσα. D. L., X. 121) beatissimique in æternum sunt. Qui eos imitari nititur, felicitate fruitur perpetua quæ in dies crescit felicitatique divinæ quam proxime accedit : inter homines, sicut Deus, cui aliqua temporis pars, non æternitas daretur, vitam degit (D., X, 135), ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις ζήσῃ.

CAPUT V

DE NATURA DEORUM

I. QUALES SINT DII, SIVE POTIUS QUID DE DIIS AFFIRMET EPICURUS. — II. DII ÆTERNI, BEATI, PERFECTIQUE SUNT ; EORUM FORMA SEDESQUE. — III. SINTNE DII CORPORALES VEL INCORPORALES ?

Epicurus quidem in operibus quæ sententias a discipulis memoriter custodiendas in breve contrahebant, quæ Diis tribuere conveniat, quæ non, diligentius ostenderat.

I

Qui beati æternique sunt, ait Epicurus in Epistola ad Pythoclem, meteoris producendis aut regendis intervenire non debent (77). Dii felicitate suprema [1] fruuntur quæ incrementum non admittit (121). Initioque *Epistolæ ad Menœceum* ante omnia ad vitam beatam efficiendam discipulos meditari monet : « primum quidem deum esse animal immortale ac beatum puta, sicut communis de deo dictat intelligentia ; nihil illi aut ab immortalitate alienum aut a beatitudine applica : ceterum omne quod illius cum immortalite beatitudinem servare possit, de eo crede (123) ». Quod iterum fere dicit in prima Sententiarum ratarum : quod beatum et immortale est neque ipsum negotia habet neque alii exhibet (139) ; atque ita ostendit quanti faciat quæ Diis tribuere sapienti convenit.

Eadem apud Lucretium legere est :

> Omnis enim per se divom natura necesse est
> Immortali ævo summa cum pace fruatur. (II, 646.)

Deos itaque habere terram, lunam, astra, mare et cælum non vult (v, 110). Mundum etiam a Diis, hominum causa factum esse negat :

> Quid enim immortalibus atque beatis
> Gratia nostra queat largirier emolumenti? (V, 165.)

Epicuri ad exemplar, Memmium monet :

> .....Respuat ex animo longeque remittat
> Dis indigna putare alienaque pacis eorum,

Cælestiaque igitur a Diis produci negat.

In opere Philodemi trunco qui περὶ εὐσεβείας inscribitur eadem etiam leguntur, διαιώνιον ἔχειν τὴν τελείαν εὐδαιμονίαν [deos]

[1] Cf. quæ de Aristotele retulimus, p. 37.

(110); alio in loco (113) quæ ad Menœceum scripserat Epicurus fere repetere videtur : γράψας δὲ καὶ περὶ ὁσιότητος ἄλλο βυβλίον κἀν τούτῳ διασαφεῖ τὸ μὴ μόνον ἀφθάρτους ἀλλὰ (113) . . . προστρέπεται . . . ἀναξιά τῆς νοουμένης ἀφθαρσίας αὐτῶν καὶ παντελῶς μακαριότητος (114) ; verba μακάριον καὶ ἄφθαρτον (121) μακαριώτατον et μακαριότητα (122), τὴν ἀθανασίαν καὶ τὴν ἄκραν μακαριότητα τοῦ θεοῦ (123); ζῷα μακάρια καὶ διαιώνια καταλείπειν (129) leguntur. Deinde (136, 137, 138) Philodemus quæ contra Deorum æternitatem [1] dicebantur confutare conatur placitaque Epicuri et Metrodori non semel citat; verba autem ita mutilata apparent ut eorum quidem sensum restituendum niti nequeamus.

Velleius etiam apud Ciceronem Epicurum insequitur et primam e Sententiis ratis illustrare, ut ita dicam, tantum conatur : quæ nobis, inquit, natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem eam insculpsit in mentibus, ut eos æternos et beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro : « Quod æternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri : itaque neque ira, neque gratia teneri, quod quæ talia essent imbecilla essent omnia (I, 45), deinde addit : quum deorum natura et æterna esset et beatissima... (46), præstantissima (Deorum) natura... quia beata est vel quia sempiterna (48) ...quoniam deos beatissimos esse constat — (Deorum) beata natura et æterna (50), etc. Platonem etiam reprehendit Velleius quod mundum habuerit Deum qui æternus esse non possit quique semper rapide motus felicitate non fruatur; Anaximandrum, Anaximenen, Alcmæonem, Empedoclemque, quod mortales finxerint Deos ; Democritum contendit Deos sustulisse aliquid æternum esse negantem ; Deum Aristotelis semper motum infitiatur quietum et beatum esse, Deosque tandem Xenocratis quomodo beati esse possint non perspicit.

Ut deos pie coleremus et ut superstitione liberaremus, satis nobis esse, addit, Deos scientibus beatos et æternos esse ; nam

[1] Cf. infra, c. VI, § 1.

et præstans deorum natura hominum pietate coleretur, quum et æterna esset et beatissima; habet enim venerationem justam quidquid excellit, et metus omnis a vi atque ira deorum pulsus esset. Intelligitur enim a beata immortalique natura et iram, et gratiam segregari, quibus remotis, nullos a superis impendere metus.

Stoicorum etiam Deum laboriosissimum miserrimumque igitur putat. Sive enim, ait, ipse mundus est, quid potest esse minus quietum quam, nullo puncto temporis intermisso, versari circum axem cæli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est. Sive in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras et maria contemplans, hominum commoda vitasque tueatur, næ ille est implicatus molestis negotiis, et operosis (*N. D.*, I, XX).

Deos etiam æternos esse ostendere nititur Velleius sequente in loco quidem obscuro : Summa vero vis infinitatis et magna ac diligenti contemplatione dignissima est in qua intelligi necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. Hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est æquabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta multitudo sit esse immortalium non minorem et si quæ interimant, innumerabilia sint, etiam ea quæ conservent, infinita esse debere (*N. D.*, I, 19). Cotta quidem, quum Epicuri placita oppugnat, clariora dicit : confugis, ait, ad æquilibritatem, sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus ; et ais quoniam sit natura mortalis immortalem etiam esse oportere ; quia sunt quæ interimant, sint, quæ conservent [1] annuit, sed Deos qui non sunt conservari negat (*ibid.*).

Nonnulli quidem, ut Mayor, Ciceronem solum Epicuro ἰσονομίαν tribuisse contenderunt, Lucretium autem ei æquilibritati alludisse (VI, 542) Munro [2] jure suspicatur. Nulla igitur causa est cur eam a discipulis qui nunquam per se cogitaverunt, inventam fuisse credamus. Quæ autem ea Ciceronis verba signi-

[1] De eo loco ab Heindorf emendato vide J. LACHELIER loco infra citato.
[2] Cf. HIRZEL, 85-90.

ficent Julius Lachelier [1] ingeniose conjectura prospexisse nobis videtur. Primum quidem, inquit, non est quare atomorum motus nova semper in natura rerum creet potius quam jam creata servet. Aliud effectum ab alio aut excludi aut superari probabile non est. In nostro autem aliisque etiam mundis omnia nascuntur, deinde moriuntur; in intervallis ergo mundorum tot jam formata renovare et servare debet atomorum motus quot nova in mundis creat [2]. Quam conjecturam ingeniosiorem putamus quam ut totam accipiamus : talem [3] enim Deorum naturam primum ponit qualem nunquam Epicurus ejusque discipuli finxerunt. Fortasse Deos æternos esse contenderunt quia alia sint in mundis quæ nascantur moriantur que, verum Epicurus æternos habuit Deos eo quod sibi tales eos dicere placuerit, quæ etiam contra placita dicebantur refellere non conatus est, discipulis primo dicta, iterum dicere satis habuit : Nihil Deo aut ab immortalitate alienum aut a beatitudine applica, ceterum omne quod illius cum immortalitate beatitudinem servare possit, *de eo crede.*

Qualis sit autem illa Deorum beatitudo? omnia a nobis jam relata Deos, sicut homines, beatos esse quum ἀταραξίαν [4] consequantur, manifesto monstrant (Diog., Lucr., Cicer.). Quam, si assequuntur Dii, ab sensu alienati, si nonnullis [5] credimus, omnino nobis videntur. Eadem tamen non dicunt Epicurei. Philodemus, exempli causa, deos somni, qui brevis putatur mors, expertes cibumque ad corporum naturam accommodatum sumentes inducit. Sermonem etiam et orationem in Diis ponit qui usu loquendi defecti quam maxima voluptate privarentur.

[1] *Revue de philologie*, 1877, I, 264.

[2] *Id.* : « A priori il n'y a pas plus de raison pour que le mouvement des atomes produise toujours de nouveaux êtres que pour qu'il conserve toujours les mêmes ; il n'est donc pas probable que, dans la nature, l'un de ces effets exclue, ou même surpasse l'autre. Or, en ce monde, ou plutôt dans l'intérieur des mondes, tous les êtres naissent et périssent tour à tour : il doit donc y avoir dans les intervalles des mondes des êtres en nombre égal, que le mouvement des atomes renouvelle toujours sans jamais les détruire. »

[3] Cf. p. 64, 74 et 75.

[4] Quæ de Pyrrhone diximus vide supra p. 38.

[5] Ravaisson, *Essai sur la Métaph. d'Aristote;* Crouslé, *op. cit.*

Quod quidem cum Epicuri placitis, Sexto auctore [1], bene quadrat. Longius forte progreditur Philodemus, quum eos lingua græca, vel lingua ab græca minime diversa perfecte utentes fingit. Dii, ut ait Zeller [2], Epicureorum constituunt cœtum qui omnia quæ cupere possunt continuo possident nec quidquam curæ habent et inter se jucunde colloquuntur. Quam felicitatem sane imperfectam putare possint; verum difficillime est, ut pæne omnes fatentur philosophi [3], felicitatem fingere perfectam. Deinde qui felicitate etiam imperfecta fruitur, insensibilis (ἀναίσθητος) immerito dicitur. Velleius quoque eos qui Diis sensum tollunt vehementer objurgat, quod non fecisset si ipsi Epicurei Deos sensu privatos finxissent. Insensibiles putare Epicuri Deos ii tantum possunt qui Epicureos ὑγιείαν et ἀπονίαν nunquam distinxisse contendunt [4]. Epicurei quidem cupidines tantum naturales et necessarias admittentes, ceteras tollunt, verum voluptatibus e primis nascentibus, mentis voluptates, quas gignunt et præteritarum memoria futurarumque spes, præsertimque amicitiæ nodos addunt. Quæ ad cupidines necessarias et naturales implendas pertinent habere, ea se semper habuisse memoria repetere, semperque se ea habiturum certiorem factum esse, id fortasse non beatissimi, verum multo minus insensibilis saltem proprium esse videtur.

II

Si nihil aliud quæreremus, ait Velleius, nisi ut deos pie coleremus et ut superstitione liberaremur, satis erat dictum quum Deos esse beatos et æternos putavissemus. Verum ad hanc con-

[1] *Adv. Math.*, IX, 178. ...ἔχει φωνητικὰ ὄργανα, καθάπερ πνεύμονα καὶ τραχεῖαν ἀρτηρίαν γλῶσσάν τε καὶ στόμα... τοῦτο δὲ ἄτοπον καὶ ἐγγὺς τῆς Ἐπικούρου μυθολογίας.

[2] De hominibus qui dii haberentur agitur. Quod cum Epicuri placitis non quadrat. ZELLER, 436, n. 1.

[3] Cf. FR. BOUILLIER, *Du plaisir et de la douleur.*

[4] Quod facit Ravaisson.

firmandam opinionem anquirit animus et formam et vitam et actionem mentis Deorumque sedem. Quæ aperire, habenti Deos æternos et beatos, non arduum est. Deorum enim forma primum humana (D. L., x ; de N. D., i, pass.). Cujus non ullam causam affert Velleius. Omnes primum gentes nullam aliam, nisi humanam, deorum esse formam affirmant. Eademque deinde vigilanti cuiquam, vel dormienti semper occurrit[1]. Ratio denique hoc idem declarat. Quum enim convenire videatur præstantissimam naturam, id est beatam et sempiternam, simul pulcherrimam esse, quæ compositio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species, humana potest esse pulchrior? Deos etiam beatissimos esse constat; beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse, nisi in hominis figura, hominis esse specie deos præditos confitendum est (*de N. D.*, i, 17 sqq.)[2].

Epicurei etiam sexus differentiam Diis tribuere videntur; nam, ait Cotta apud Ciceronem, quod et mares deos et feminas esse dicitis, quid sequatur videtis (*N. D.*, i, 95).

III

In mundis quidem, quos atomi per inane coalescentes constituunt, habitare non possunt Dii, qui, mundis quidem destructis, ipsi mortem occumbentes eam felicitatem amitterent quæ ipsorum propria est. Eversio etiam, quam nulla ex atomorum coagmentationibus effugit, quum ab ipsis metuenda non esset, beatissimi in præsenti esse non possent qui, atomorum turbinibus, sicut littora fluctibus, continuo quassati quietem ex necessitate deperderent. Sedes enim Deorum, ait Lucretius, in

[1] Cf. supra p. 56 sqq.

[2] *Vol. Herc.*, vi : καὶ εἰ λογισμὸν οὐκ ἔχομεν ἐν ἄλλῃ μορφῇ δίχα τῆς ἀνθρώπου φανερόν ὡς καὶ τὸν θεὸν ἀνθρωπόμορφον χρὴ καταλείπειν ἵνα σὺν λογισμῷ τὸν ὑπόστασιν ἔχῃ. Quæ verba Metrodoro tribuuntur.

mundi partibus ullis sunt (v, 147). In intervallis mundorum [1] habitant Dii qui ita felicitate nunquam turbata fruuntur : Deos, ait Cicero (*Div.*, II, 40), ipsos jocandi causa, induxit Epicurus perlucidos et perflabiles et habitantes, tanquam inter duos lucos, sic inter duos mundos propter metum ruinarum. Eadem fere apud Senecam leguntur (*Benef.*, IV, 19) : « Tu denique, Epicure, deum... projecisti extra mundum. Hunc igitur inseptum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare verearis : nulla illi nec tribuendi nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus et alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium evitat ».

Qui Homerum et Aristotelem attente evolverint [2], Olympum ab illo fictum, deinde ab eo, ratione duce, in melius mutatum agnoscent in iis deorum sedibus quas ad placita implenda tantum accommodavit Epicurus [3].

IV

Nunc restat, ad theologiam Epicuri restituendam, ut quæramus utrum corporales an incorporales Dii sint.

Principium quidem ponit Epicurus omne esse corpus, excepto tamen Inani quod ejusmodi est ut neque agere, neque pati aliquid valeat : præter autem corpora et inane, nihil cogitari potest neque per modum comprehensionis (*περιληπτῶς*) neque secundum comprehensibilium proportionem (*ἀναλόγως τοῖς περιληπτοῖς*) ; quippe quæ per totas naturas accipiantur neque veluti horum eventus (*συμπτώματα*) accidentiave (*συμβεβηκότα*) dicantur (D. L., x, 40).

Lucretius eadem dicit :

[1] D. L., x., 88.
[2] Cf. supra p. 37.
[3] Cf. Mayor, *passim.*

Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni
Corpore sejunctum, secretumque esse ab inani,
Quod quasi tertia sit numero natura reperta. (I, 424.)

Quod manifestum reddunt versus sequentes quorum postremi eadem rursus accuratissime affirmant :

Ergo præter inane et corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui
Nec quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.

Inde patet Epicuri Deos corporales tantum esse. Inane enim Deos constituere non posse liquet. De deo quidem, sicut de inani dicit Epicurus : Nihil agit ; ejus autem verbi *agere* non idem sensus : nihil *absolute* agit inane, quod eo tantum exsistit ut corpora, ubi sint et per quod moveantur, habeant, quum autem ipsum neque agere neque pati potest ; nihil *relative* facit deus qui nullis quidem occupationibus est implicatus, nec ulla opera molitur, verum rationis particeps et sensibilis sua sapientia et virtute lætatur beatissimeque vivit ; quæ Inanis naturæ manifeste repugnant. Dii etiam simulacra emittunt ad nos venientia quæ gignere Inane sine dubio non potest [1]. Sunt denique humana specie sedesque in vacuo positas tenent. Cum Inani igitur in quo habitant non certe confunduntur.

Attamen, dicet aliquis, Deus quidem et Inane unum atque idem non sunt, sed deus tamen incorporalis est. Quæ jam retulimus si memoria repetemus, aliquid esse quod neque corpus neque inane sit negare nobis necesse est. Velleius quoque apud Ciceronem de Anaxagoræ Deo sic loquitur : aperta simplexque mens, nulla re adjuncta qua sentire possit, fugere intelligentiæ nostræ vim et notionem videtur. Platonem objurgat quod vero sine corpore ullo deum vult esse, ut Græci dicunt, ἀσώματον, id quale esse possit intelligi non potest ; eademque fere contra Aristotelem dicit : quum autem sine corpore idem vult esse deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia... Quomodo

[1] Cf. MAYOR et MUNRO, *passim*.

autem Epicurus, quæ apud ceteros philosophos vituperat, discipulus ipse fecisset ?

Ex altera quidem parte, qui Diis corpora tribuit, cum ceteris Epicuri placitis repugnantia introducere videtur. Corpora enim atomi vel atomorum sunt concretiones : *σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ'ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται* (D. L., x, 40, Philod., π. εὐσεβ., f. 136) ;

> Corpora sunt porro partim primordia rerum,
> Partim concilio quæ constant principiorum.
> (Lucr., i, 483.)

Corpora quidem individua Deos putare non possumus : quæ simulacra non emitterent ; nam partes quidem habent quas cogitando invenire possumus ; verum eorum partes nunquam ab toto avelli possunt neque per se esse (D. L., x, 43, 56, 57 ; Lucr., i, 615 sqq.). Atomi quoque continuo moventur et majori celeritate quam solis radii qui temporis puncto lucem infundunt terris, moventur. Velleius autem, dum de Aristotele loquitur, quomodo deus semper se movens, esse quietus et beatus possit, non videt ; quum deinde Stoicos vituperat, quid possit esse minus quietum (ergo minus beatum) quam, nullo puncto temporis intermisso, versari circum axem cæli admirabili celeritate requirit. Pondus etiam, figura, magnitudo, paululaque declinatio solæ sunt atomorum proprietates ; colores autem, frigus, odores, sapores, sonitus aliæque qualitates iis desunt, quippe quæ omnia sint mutabilia et hanc ob causam mortalia, quo fieret ut ad nilum funditus omnia redirent (D., x, 44 ; Lucr., ii, 864). Atomi quidem nullum habent sensum, nam si animantes essent, sensum pariter ac animalia perderent, itaque mutarentur. Velleius autem Xenophanem objurgat quod omne infinitum habet Deum, in quo nihil *sentiens* potest esse ; Parmenidemque, quod Stephanem habet Deum in quo neque figuram divinam neque *sensum* quisquam suspicari potest ; Empedocli vitio dat quatuor ejus naturas, *sensu* omni carentes, Diogenique aera qui *sensum* habere non potest. Lucretius quoque solem et cælum, mare et astra, terram et lu-

nam quæ omnia sunt vitali motu *sensu*que remota, in Deorum numero ponere abnuit (v, 110 sqq.).

Atomos igitur sensu privatas Deos non habent Epicurei.

Deos quidem atomorum esse concretiones fingemus? Omnis autem concretio, quia nascitur, peritura est : mundos, ait Epicurus (D. L., x, 73), et omnem finitam concretionem, similem iis quæ frequenter inspiciuntur speciem habentem, existimandum est ex infinito prodiisse (γεγονέναι ἀπὸ τοῦ ἀπείρου) . . . rursumque dissolvi omnia, celerius alia, alia tardius (καὶ πάλιν διαλύεσθαι πάντα, τὰ μὲν θᾶττον, τὰ δὲ βραδύτερον). Eadem dicebat Metrodorus, ἅπασαν δὲ σύγκρισιν φθαρτήν. Viventium igitur non solum corpora, sed etiam mundi multas mittentes atomos paucasque accipientes dissolvuntur (φθαρτοὶ οἱ κόσμοι, Diog., x, 74; Plac. Phil., ii, 4; Stob., *Eclog.*, i, 418; Lucr., v, 105 sqq.).

Quomodo igitur Dii concretiones atomorum habiti, qui etiam animantes et figura sunt humana legem, cui animantes et mundi parent, non observare possint?

Epicurus fortasse, inquis, Deos in intermundiis positos ab atomorum ictibus concreta dissolventibus, tutos faciebat. Ita quidem ostendebat nihil eorum quietem turbare, verum ut spatii cujusdam, in quod nulla penetrat atomus, dum de eo exeunt simulacra concipiendi difficultas, omittatur, in Diis ipsis dissolutionis causa invenitur : nam simulacra continuo emittentes atomos amittunt quarum in locum nullæ reponuntur tantoque citius dissolvi deberent quanto longius a terra absunt intermundia, majoremque simulacrorum numerum a Diis emitti oportet ut omnes Inanis partes cujus ubique centrum, nullo autem loco finis reperitur, pariter pateant.

Dii igitur, si Epicuri placita summatim inspicimus, neque incorporales, neque corporales esse possunt.

Accuratius autem inspicere quæ nobis de illa re tradita sunt nunc in animo est. Tres Epicuri Epistolæ et Sententiæ ratæ, quæ placita magistri breve contrahunt, de Diis corporalibus aut incorporalibus nihil fere dicunt. Nonnulla quidem verba primæ e ratis sententiis addit Diogenes : in aliis vero ait deos ratione perspici, τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς. Quod in philosopho-

rum placitis (882, C.) illustratur : eos ait cerni ratione, ob tenues partes et naturam simulacrorum διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως. Nobis quidem attente hæc examinantibus videtur Epicurus Deos, velut animalia, tacite corporales fecisse eosque autem ex levissimis composuisse atomis. Animum contra corporalem expresse dicit, οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαΐζουσιν (D., x, 67). Quod certe manifesto indicat Dii, utrum corporales an incorporales sint definire non necessarium putavisse Epicurum ad quietem et beatitudinem efficiendam. Discipulis quidem deos beatos et æternos, naturæ rerum hominumque vitæ nunquam sese immiscentes putare satis erat. Quos etiam fingere humana specie, e levissimis atomis, sicut animum, formatos, verum per omne ævum, ut intermundiorum incolas, vitam ducentes, discipulis licebat. Eos igitur tales habet Lucretius qui divum corpora sancta allegat (I, 1008) a nostris differentia aliasque igitur sedes occupantia (V, 154), deinde loquitur

de corpore quæ sancto simulacra feruntur
In mentes hominum divinæ nuntia formæ. (VI, 76.)

Corpora autem Deorum alio in loco accurate depingit :

Tenuis enim natura deum longeque remota
Sensibus ab nostris, animi vix mente videtur (V, 147.)

quæ jam ad animam fingendam adhibentur :

tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factam, quam liquidus humor aquaï
Aut nebula aut fumus.

Epicuri etiam instar, Deos præsertim beatos et æternos fingi vult :

respuis ex animo longeque remittis
Dis indigna putare alienaque pacis eorum, (VI, 68.)

Quorum tamen naturam diligentius nusquam inspexit. Ea

firmat quæ dixerat magister ; quæ autem nostro tempore non facile comprehenduntur non vidit ideoque illustranda non putavit.

Ipse vero Epicurus qui in Epistolis et sententiis ratis Deos fingere corporales vel incorporales non oportere ad discipulos docendos putavit, aliis quidem in locis rem tractavisse videtur. In aliis vero, ait Diogenes (139), dicit deos ratione perspici, alios quidem numero subsistentes, alios vero secundum speciei multitudinem ex perpetua similium simulacrorum affluentia quæ in id ipsum perfecta sint humana specie : ἐν ἄλλοις δέ φησι τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, οὓς μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας, οὓς δὲ καθ' ὁμοειδίαν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων ἀνθρωποειδῶς [1]. Cujus primæ parti, τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, quæ fere iisdem verbis apud Lucretium, Ciceronem, Plutarchum et Stobœum legitur, omnes eumdem sensum tribuunt [2]. De altera autem non idem fit : duo deorum genera invenimus quum quales sint Epicureorum Dii quærimus ! Rem facile expedivit Gassendi qui pro οὓς μὲν etc. legit οὓς καί, ὡς καὶ quia, ait, secus non apparet quid sensus exinde possit elici (*Notæ ad Lib. dec.*, 129) ; locumque ita interpretatur : aliis vero in locis ait Deos non sensu, sed mente cerni ipsosque non soliditate quadam consistentes aut distinctione numerabiles, verumque tamen similitudine quasi *hominiformes* propter affluxum continentem imaginum ad exhibendum menti nostræ talem naturam comparaturam.

Neminem vero, Schwenckio quidem qui οὐ μέν... γνωστούς legit sine causa partim excepto, cognoscimus qui Gassendi scripturam acceperit. Inter eos qui Diogenis verba servant, Zeller (431, *n.* 2) primum Deorum genus numero reque vera esse putat, alterum quidem animo fictum *(Geschöpfe der menschlichen Phantasie)*, quum simulacra a Diis non emissa animos penetrant. Lachelier inter se contrarios dicit Diogenem

[1] Sic legit Zeller (3ª edit).
[2] Quod supra aperte ostendimus cf. p. 56.

Ciceronemque, textumque Diogenis, ut credidit Zeller[1], mutatum fuisse vel Diogenem Epicuri placita cum quadam Democriti sententia qui atomos ignem aut animum constituentes Deos habet (Cic., *de N. D.*, I, xliii, 120; Ps.-Plut., *de Pl. Ph.*, I, vii, 13) conjunxisse putat.

Diogenem etiam Woltjer sic interpretatur : Epicurus dixit propter ἰσονομίαν (*N. D.*, i, 19, 50) deorum numerum esse infinitum. Vulgus autem inter hos deos innumeros discernebat nonnullos, qui sua natura et indole et suis moribus erant prædití, ita ut singuli possint agnosci; reliquorum χαρακτήρ minus erat distinctus et quasi omnibus communis. Hoc discrimen e suis principiis ad discrimen inter simulacra per quæ dii apparent, referre debebat Epicurus. Statuit igitur nonnullorum deorum εἴδωλα κατ' ἀριθμόν apparere, id est, ita ut, singula quasi individua (ut recentem significationem antiquo vocabulo subjungam) possent animadverti, quum reliqua, quorum semper suppeditabatur facies et forma manebat (Lucr., 1175-76) communi tantum notione se animo infigerent (L., v, 1169 sqq.). Mayor autem Diogenis verba in dubium non vocat qui tamen duas apud Epicureos videt theologias quarum una doctior a Democrito sumpta, altera ad populi fidem magis accommodata videtur.

Cujus explicationem quidam textus firmare videtur : « Sententiam alteram domesticam, alteram forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur (*de Fin.*, ii, 24) »; verum auctor non est satis certus Cicero, quum præsertim de Epicureis loquitur, ut, ipsum sequentes solum, Epicureos, quum quæ ad vitæ actionem pertinent præsertim quærimus, duas doctrinas habuisse putemus. Woltjer autem ab ἰσονομία, quam interpretari etiam haud facile est, interpretationem ducit, nec quidquam profert ad eam probandam quod Epicureorum scripta præbent. Eadem etiam dici possunt de conjectura quam Lachelier producit. Restat denique ut Zelleri opinionem sequamur quæ, quanquam maxime probabilis, nullo textu confirmatur.

[1] Zeller in tertia quidem operis editione, textum integrum putat.

Post Epicurum, Philodemus rem tractavisse videtur in eo loco cujus explicandi spem abjecerunt Gomperz et Mayor. Alioque in loco, quanquam in libro qui inscribitur de deorum vivendi ratione per conjecturas investigata, secundum Zenonis placita (*Vol. Herc.*, tom. VI, col. 14) profitetur quædam quærenda de diis et definienda, quædam vero nec quærenda nec definienda, quæ contra Epicuri theologiam de diis incorporalibus vel corporalibus dicebantur pependisse videtur : (136) τὸ λέγειν ὡς ο(ὐδ') ἐν τοῖς σώμασιν (κα)τα(λ)είπει (?) τοὺς θεούς, τῶν σωμάτων λέγων τὰ μὲν εἶναι συνκρίσεις τὰ δ'ἐξ ὧν αἱ συνκρίσεις πεπόηνται μήτε γὰρ ἀτόμους νομίζειν τοὺς θεοὺς μήτε συνθέτους (*Munro* συνκρίσεις). Objecta adversariorum sane ponebat Philodemus quæ deinde *fortasse* refellebat. *Fortasse* enim adhibemus, nam verba mutilata nihil affirmare sinunt. Certe Philodemus Epicurum secutus, Deos corporales simulque æternos finxisse videtur, qui eos græce loquentes introduxerat [1]. Quomodo autem utraque junxerit nescimus.

Cicero quidem plurima ad objecta ponenda et solvenda, nobis libros de natura deorum tantum attingentibus, præbuisse videtur. Velleius enim Anaxagoram, Platonemque et Aristotelem reprehendit quod deum incorporalem fecerint. Quod natum est id æternum non esse adversus Platonem affirmat : quod ortum sit ipse putet æternum esse ? quæ est coagmentatio non dissolubilis ? Eadem adversus Anaximenem Alcmæonemque profert qui deos, solem, lunam astraque facit et mortalibus idcirco rebus dat immortalitatem, adversus Empedoclem naturas introducentem quas et nasci et exstingui perspicuum est. Quæ etiam in Epicureos vertit Cotta : « Sint, ait, sane (dii) ex atomis ; non igitur æterni ; quod ex atomis, id natum aliquando est. Si natum, nulli dii antequam nati. Et si ortus est deorum, interitus sit necesse est, ut tu paulo ante de Platonis mundo disputabas. Ubi igitur illud vestrum beatum et æternum ? »

Velleius Epicurum, ut videtur [2], secutus ea refellere tentat :

[1] Cf. supra, p. 66.

[2] « Ista a vobis quasi dictata redduntur quæ Epicurus oscitans hallucinatus est ».

Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus, nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem [1].

Dum individuorum concretionem fugit (Epicurus) ait Cotta, ne interitus et dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tanquam corpus, nec sanguinem, sed tanquam sanguinem. Secundo etiam in libro de natura Deorum inscripto dicit Balbus : quæ (casus, ictus, morbos) verens Epicurus, *monogrammos* deos et nihil agentes commentus est. Cujus verbi sensum dat nobis Nonius : monogrammi, ait, dicto sunt homines macie pertenues ac decolores ; tractum a pictura quæ prius quam coloribus corporatur, umbra fingitur. Idem fere significant verba « adumbrati Dii » (*N. D.*, I, 75) « perlucidi et perflabiles Dii » (*de Div.*, II, 40) quibus aliis in locis Cicero utitur. Cotta quidem Epicuri his de rebus placita in breve contrahere videtur : Illud video pugnare te, species ut quædam sit Deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida. Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa [2] : corpus illud non est, sed simile corpori, nec ille fusus, et candore mixtus rubor sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo : sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse.

Quid sit autem illud « quasi corpus » in philosophia quæ præter Inane nihil aliud quam corpora individua vel concreta ponit non facile perspicere est.

Cotta quidem apud Ciceronem Epicureorum hac de re placita cum ceteris confert quæ quam minime explorata proferunt : quum, ait, aliquid non verisimile dicatis, et effugere reprehensionem velitis, affertis aliquid quod omnino ne fieri quidem possit. Itaque Epicurus, ut aliquid in nostra potestate foret, ait atomum, quum pondere et gravitate directo deorsus feratur, declinare paululum, quod dicere turpius est quam illud quod vult non posse defendere. Idem contra dialecticos per-

[1] Hom., *Iliad.*, V, 320 : ῥέε δ'ἄμβροτον αἷμα θεοῖο | ἰχώς οἷός περ τερέει μακάρσσι θεοῖσιν | οὐγὰρ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον | τό οὔνεχ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

[2] Apellis tabula picta.

timuit ne, si concessum esset hujus modi aliquid « Aut vivet cras aut non vivet Epicurus » alterutrum fieret necessarium : totum hoc « aut etiam aut non » negavit esse necessarium, quo quid dici potuit obtusius! Timuit deinde Epicurus, ne, si unum visum esset falsum, nullum esset verum : omnes sensus veri nuntios dixit esse, graviorem autem plagam accipiebat, ut leviorem repelleret. Idem facit in natura deorum : in Deo quid sit « quasi corpus » aut « quasi sanguis » intelligere ipsi Epicurei non possunt, sed fateri non volunt qui ista quasi dictata reddunt quæ Epicurus oscitans hallucinatus est.

Velleius autem quum satis dixisse Epicurum ut deos pie coleremus et ut superstitione liberaremur animadvertisset, rem paulo planiorem facere nititur. Quæ de corpore deorum ab Epicuro dicta sunt satis obscura putat : *hæc*, ait, *quanquam et inventa sunt acutius et dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quivis ea possit agnoscere*. Auditoribus deinde paucioribus verbis quam res tanta posceret se usurum esse dicit, eorum intelligentia fretus. Quæ autem sequuntur obscurum per obscurius, ut ita dicam, illustrare videntur. Epicurus autem, ait Velleius, docet eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam, neque eadem ad numerum sit, ut ea, quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat, sed imaginibus similitudine et transitione perceptis, quum infinita simillimarum imaginum series [1] ex innumerabilibus individuis exsistat et ad nos [2] affluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere, quæ sit et beata natura et æterna (*Mayor*).

Quem locum Schwencke omnium putat difficillimum, cujus ut ipse addit, « certam omnibusque numeris absolutam interpretationem vix quisquam, ego certe hoc tempore proponere non possum ».

[1] *Species* Zeller et Lachelier cui *infinita species imaginum* idem est ac *infinitæ imagines*.

[2] *Ad eos* in omnibus fere manuscriptis leguntur. Quod servat Lachelier.

Audacior quidem Hirzel hæc linguam in germanicam ita transtulit (*Untersuch.*, 68) : « Epikur lehrt die Natur der Götter sei der Art, dass sie erstens nicht mit den Sinnen, sondern nur mit dem Geiste erfasst wird, und dass sie ausserdem weder Solidität noch individuelle Identität besitzt wie die sogenannten στερέμνια; vielmehr gelangten wir zur Erkenntniss des Göttlichen (denn das besagen die Worte quæ sit et beata natura et æterna) durch Bilder die wir wahrnehmen, etc. » Ciceronem etiam putat Hirzel imagines quæ nos de diis certiores faciant, cum Diis ipsis permiscuisse (77) ; Zeller autem (431, n. 2) eumdem primo Deorum generi quod meminit Diogenes[1] ea tribuisse quæ popularibus cum Diis tantum congruunt. Woltjer (165, n. 7) Epicuri placita Ciceronem non intellexisse contendit : ut sæpius, inquit, ita hoc quoque, Cicero Epicurum non intellexisse videtur, itaque res conturbat ; primum alterum tantum deorum simulacrorum genus quasi solum exstet, commemorat ; deinde minus est accuratus, quum στερέμνια imaginibus opponat, oblitus στερέμνια videri non posse nisi per imagines : denique ipse sermo obscurus confirmat Ciceronem rem non perpexisse.

Mayor quidem eum locum his verbis reddit (147) : « Epicurus teaches that the essential nature of the Gods is such as, in the first place, to be perceptible by the mind alone, not by the external senses ; and in the next place, to be without the solidity, so to call it, and the individuality belonging to those bodies to wich he gives the name of στερέμνια on account of their hardness : but (his account is) that through the perception of a long train of similar forms itself out of countless atoms and streams toward us, then our mind intent and fastened upon these images apprehends with rapture the idea of a blessed and eternal being. » Ciceronem etiam duo deorum genera ab Epicureis habita non decrevisse putat Mayor[2].

Solus autem Lachelier quales sint Epicureorum Dii ex hoc

[1] Cf. supra, p. 73.
[2] Cf. supra, p. 74.

Ciceronis loco se nobis ostendere putavit [1]. Dii, ait, imaginibus similitudine et transitione perceptis formantur qui neque corpora, neque simulacra sunt iis quæ nobis dormientibus apparent similia; simulacrorum autem seriebus constant simillimorum quæ alia aliis succedentia in uno atque eodem Inanis loco unici corporis et stabilis speciem præbent. Deinde ad nos vel *a diis ad nos* pro *ad eos* legere negat quia non de diis ut sint, sed de diis ut sint a nobis cognoscendis, hoc in loco agitur : hæc enim sunt simulacra in spatio sponte formata quæ *ad eos* (deos) id est, ad locum per quem continuo transeuntia ipsa Deos exsistentes constituunt Quod sequitur, *in eas imagines*, etc., nos divina simulacra contemplari quæ singula sensus feriunt non indicat, nam ea simulacra, ut illa quæ corpora declarant, ipsi nescimus, de re autem agitur imaginaria quam simulacris trans mundum formatam Epicurus beatitudinem perfectam æternamque habet.

Nunc autem textum paulo accuratius inspicere in animo est. Primum quidem verbum *soliditate* ablativum causalem e verbo *cernatur* habet Schwencke qui Velleium simulacris quæ mittunt solida (στερέμνια) subtiliora quæ de diis nos certiores faciunt decrevisse putat. Quæ quidem interpretatio sequentibus, *nec esse in ea specie ullam soliditatem, neque eamdem ad numerum permanere,* ubi soliditas Diis non eorum imaginibus negatur, minime convenit. Hirzel autem et Lachelier pro ablativo qualitatis attributivo verbum *soliditate* tenent, quam structuram Mayor audacissimam putat. Quod etiam si divinæ substantiæ soliditas tribuatur, hoc orationis membrum et primum hinc quod notionem Deorum ponit, illinc Diogenis Lucretiique textus [2] inter se pugnant. Locum quidem in quo legitur *imaginibus similitudine et transitione perceptis*, etc., facile intelliget qui locos 105, atque 109 attigerit, eumque cum Diogene (οὓς δὲ καθ' ὁμοειδίαν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως) Lucretioque (homines æternam vitam quia semper eorum suppedita-

[1] *Loc. cit.* : « Ce qu'ils sont précisément, Cicéron nous l'apprend dans un passage assez obscur. »
[2] Cf. supra, p. 72, 73.

batur facies et forma manebat v, 1175), satis congruentem inveniet. Verba autem, ex innumerabilibus *individuis* per *göttlichen Individuen* Zeller, melius autem, ut mihi videtur, per *ἀτόμους* Lachelier et Mayor transferunt. Verba etiam *ad deos affluat* quam maxime perplexos interpretes reddiderunt ; alii *ad nos*, alii *a deo*, alii *a diis*, alii *a diis ad nos* legere volunt. Lachelier autem *ad deos* servat locumque ingeniose, ut jam monstratum, interpretatur. Quo quidem lecto, Mayor pro verbo *ad deos*, intellectu carente (makes no sense), *ad nos* ponit.

Qui his verbis obscurioribus, tanta diversitate emendatis et explicatis, obscura verba « quasi corpus, quasi sanguis » illustrare conatur, se rem minime faciliter gesturum existimare debet. Quæ tamen de ea re senserunt interpretes breviter perpendamus.

Quam Lachelier interpretationem protulit ingeniosam, textum antiquum fideliter servantem quamque proxime sequentem invenimus. Contextus etiam eam interpretationem Ciceronis esse veram sententiam quadamtenus probare videtur : Si tantum, ait Cotta (105) modo ad cogitationem valent nec habent ullam soliditatem nec eminentiam, quid interest utrum de Hippocentauro an de Deo cogitemus... fac imagines esse, quibus pulsentur animi, species dumtaxat objicitur quædam : Num etiam, cur ea beata sit, cur æterna? Lachelier autem verbo *soliditate* sensum tribuit qui, cum primo contextus membro difficile, ut ostendimus, quadrare potest. Deinde Velleius Democritum deos habentem imagines eorumque circuitus vehementer reprehendit verbumque *circuitus* nos monet ut, de imaginum seriebus, non de imaginibus singulis agatur. Finge autem ipsum Ciceronis sententiam exacte expressisse, non tamen sequitur eamdem Epicuro tribuendam : hac enim de re solus testatur Cicero qui et Epicuro infestus et aliquando etiam, non ita subtiles philosophorum quos amat sententias, parum fideliter exposuisse videtur.

Diogenes autem et Lucretius repugnantia valde proferunt [1]

[1] Cf. supra, p. 72, 73.

qui Epicurum fidelius secuti sunt. Quomodo insuper Dii qui tantum corporis unici et stabilis speciem præbent simulacra emittere possunt? Simulacrorumque series sponte in Inani formatæ si Deos per continuum transitum constituant, quomodo Dii continuo se moventes felicitate perfecta fruerentur, quum Velleius ipse nonnullos philosophos deos motu actos habentes reprehendit, quod Dii ita ficti beatissimi esse non possent? Singuli etiam si non exsistant Dii, quomodo loquerentur exemplariaque ad bene beateque vivendum præberent, quomodo tandem eos opinionibus popularibus magis accomodatos quam ἀέρας καὶ πνεύματα inveniremus quæ Stoicis vitio vertit Philodemus [1] ?

In summa doctissimi viri Lachelier interpretatio loco citato dat lumen, obscuriorem fortasse Epicuri de natura Deorum sententiam reddit. Hirzel, Zeller et Mayor verisimilia saltem proferunt ; quod quærimus nobis non præbent. Mayor tamen Epicuri placita cum vulgi opinionibus confert, quod Deum primum quamdam justitiam et pulchritudinem, deinde paulatim ipsum singulum suique conscium fingit. Epicurus aut saltem Epicurei incorporales fortasse Deos habuerunt : eam autem interpretationem falsam neque declarant scripta ad nos transmissa, neque autem confirmant.

Longius etiam ivit Lange (*Gesch. des Mat.*, I, 76) qui Epicuri Deos absolutam perfectionem a recentioribus [2] conceptam putavit. Verum, ut animadvertit Zeller (436, n. 3), ea perfectio intermundia non habitat.

Neque igitur scripta, neque placita ipsa aliquid nobis præbent quod Epicureorum deos fuisse corporales vel incorporales aut neutros nobis statuisse sinat. Ut ait Woltjer, num ipse poeta (Lucretius) et Epicurus (aliique Epicurei) certas et definitas de deorum corporibus habuerint notiones, dubitamus. Epicurum autem discipulorum fidem invocavisse, nullaque ad eorum dubitationes tollendas adhibita ratione, verisimile nobis

[1] Cf. Mayor.
[2] Vacherot et Renan.

videtur. Quorum quidem unicuique non dicit : crede quia absurdum [1], verum : crede quanquam obscurum, quia Diis ante omnia æternitatem beatitudinemque tribuere convenit.

CAPUT VI

DE NATURA DEORUM

I. QUALES DII NON SINT VEL POTIUS QUID DE DIIS NEGAVERIT EPICURUS. — II. QUOS ADVERSARIOS, CREATIONE ET PROVIDENTIA NEGATIS, ARGUMENTIS REFELLERE TENTAVERINT EPICUREI.

I

Omnes Græciæ philosophi, materiam æternam ducebant [2] iique ipsi qui Deum mundi faciebant ordinatorem, materiam admittebant semper exsistentem quæ ab ipso disposita tantum fuerat ut κόσμος fieret. Creationem ex nihilo quidem nulli pæne philosophi ante Christum nati suspicati sunt [3]. Ejus autem

[1] Tertullianus : Crucifixus est dei filius; non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est dei filius ; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile est (*Ueberweg*, II).

[2] Creationis e nihilo doctrinam Dualismo vel Pantheismo qui præponunt Deumque neque e materia prius exsistente neque ex ipso mundum creavisse contendunt quasdam difficultates quidem vitant, sed quo modo Deus mundum formaverit se nescire fatentur. Cf. Bersot, *Etudes et Discours*, 2, sqq.

[3] Apud Platonem Creationem inveniri putaverunt primi Christiani, verum immerito. Cf. Zeller et Fouillée.

nulla mentio fit apud Epicurum, quodque physicæ principium ponit, οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος (D., x, 38) a Democrito sumptum, eam tacite negat. Lucretius autem creationem e nihilo aperte negare videtur : *nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam* (i, 144). Verum de mundorum eorumque in mundis quæ fiunt origine, non de materia primitiva agitur. Atomi enim et Inane, *immortali natura* prædita (L., i, 230), ex æternitate fuerunt.

Nonnulli quidem philosophorum antiquorum, utpote Plato, Stoicique, mundum a deo fabricatum docebant, qui leges materiæ imposuisset definitas, ut ille quam maxime bonus evaderet. Epicurus autem ab iis omnino dissentit [1], physiceque eorum quæ nunc exsistunt rationem reddit : atomi enim quum inter se per vacuum obviæ sæpe fuissent, mundosque primum creassent qui subsistere non potuerint, mundos nunc exsistentes formaverunt, quibus quidem eversis novi aliquando delendi succedent. Motum etiam ex æternitate habent atomi : Primum ergo moventem, Anaxagoræ instar, qui mundo Νοῦν, id est multis [2] quidem auctoribus Deum dedisse talitrum [3] putavit, non introducit Epicurus. Sponte etiam terræ et maria, astra cælumque (*Ep. ad Herod.*, Lucret., ii) ; sponte quoque ea quæ in terris apparent ; sponte orta sunt ipsa viventia : primum quidem herbarum arbustorumque genus ; deinde portenta multa, androgyni, orbaque pedum, muta sine ore, sine vultu cæca, vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu (L., v, 800 sqq.) ; deinde animantium genera [4] quæ nunc adhuc videmus. Physice etiam Epicurei animantes hodie genus propagare et aliquo tempore servare contendunt. Qui a nobis diligitur, simulacra ad nos mittit quæ semen humanum movent cupidinemque gignunt : Nihil ergo divinitus in amore (οὐδὲ θεόπεμπτον εἶναι τὸν ἔρωτα, ὡς Διογένης φησιν, D. L., x, 118 ; hæc Venus est nobis, hinc autem est nomen Amoris,

[1] Cf. quæ de Aristotele retulimus.
[2] Cf. Anaxagore (Zévort).
[3] Cf. « la chiquenaude » quam solam mundo apud Cartesium dedisse deum, contendit Pascalis.
[4] Homo ipse, Zellero quidem invito, cf. infra, p. 96.

L, IV, 1046)[1]. Causas denique naturales, non Deos, ad cælestia explananda quæ homines primum religiosos reddiderunt, Epicurus Lucretiusque adhibent. Quorum hinc simulacra quum ex locis tam longinquis ad nos perveniunt sæpe deformata, quumque illinc ea quæ non refellunt sensus credere debemus, Epicurei plures eorum interpretationes accipiunt nobisque proponunt. Siderum magnitudinem, motusque, ortus et occasus, solis ac lunæ conversiones defectusque, nubes et tonitrua, coruscationesque etc., in Epistola ad Pythoclem ita explicat Epicurus. Quem in quinto libro sequitur Lucretius qui magistro longius alio in loco etiam procedit, quum ea quæ Faunis, Satyris et Nymphis tribuebantur physice interpretatur.

Divinationem[2] ergo tollunt Epicurei, quam adhibere ii soli possunt qui providentiam agnoscunt.

Vitæ autem hominum nunquam se immiscent Dii : homo enim liber vitam ipse suam componit (DIOG., 134, LUCR., II, 262, CIC., *de Fato*)[3]. Hominibusque quidem mortuis neque nocent Dii neque prosunt, nam animus ex atomis, ut corpus, formatus, in morte, atomis dissilientibus, totus dissolvitur.

Dii igitur neque atomos creant, neque eas ad mundum formandum disponunt, neque viventia hominemque fingunt, neque de homine viventi aut mortuo curant.

Epicurusne autem, dicet aliquis, doctorum instar qui phenomenorum leges definire tantum student, quique scientiæ causas substantiasque non quærendas esse putantes, nunquam Deum aut formantem aut gubernantem omnia dicunt, ipse Deos mundo expulerit? Interpretatione etiam mundi *positiva*, ut hodie dicunt, nonne jam usus esset Epicurus? Quod non semel affirmatum[4] cum scriptis difficillime congruit. Epicurus qui-

[1] Cf. infra, p. 100.

[2] D. L., X, 135; CIC., *de div.*; PLUTARCH., *loc.*, infra *cit.*; cf. quæ de Xenophane diximus, et BOUCHÉ-LECLERCQ, *Histoire de la divination*, passim.

[3] GUYAU, *La morale d'Epicure*, 71; John MASSON, *Journal of Philology*, 1882, 40, sqq.

[4] *Etude sur la physique de Lucrèce*, par F. ANDRÉ, traduction E. Lavigne; RENAN, *Dialogues philosophiques*, 54 : « L'école épicurienne, la grande école scientifique de l'antiquité »; POUCHET, *La biologie d'Aristote*, sub fine.

dem quum natura Deos expelleret, ad leges mundi quærendas ipse perduci aliosque perducere potuit ; quum ad sensus omnes notitias reduceret, sensus ipsos eorumque generationem diligentius inspexit ; quum eadem phenomena plurimis modis fieri putaret, quædam in disquisitione posita reliquit novisque hypothesibus fingendis locum dedit; Canonica etiam ad animos iis disciplinis instruendos quæ experimentis præsertim ponuntur, aliquid summatim conferre debuit [1]. Hoc libenter concedimus, dummodo Democritum, Hippocratem etiamque Platonem, sed præsertim Aristotelem ante Epicurum naturam attente inspexisse [2] nobis concedatur ; dummodo etiam Epicureos plures causas eo tantum vocavisse quo facilius metu liberarentur, eos scilicet qui unam noscant causam non minores habere metus putantes ; dummodo ea tandem quæ nunc ipsis tribuuntur placita, minime primum duxisse [3] magistrum æque nobis concedatur. Epicureos vero, naturam observavisse, ut hodie studentes, ad leges tantum phenomenorum perspiciendas, concedere nobis non licet.

Epicurus ipse in Sententiis ratis (x, xi, xii, xiii) nos docet physiologiam inutilem esse, si ad vitam gerendam, metusque excutiendos fabulasque dissolvendas, non adjuvaret; in Epistola ad Herodotum, physiologiam ad meteora explicanda adhibendam putat, quia beatitudinem inde assequimur (78); initioque Epistolæ ad Pythoclem ea legimus : Primum igitur nullum alium finem cælestium corporum scientiæ, sive per connexionem, sive absolute dicantur, propositum esse putandum est, quam perturbationis vacationem ac probationem certam (*ἀταραξίαν καὶ πίστιν βέβαιον*, 85). Deinde, sub fine, addit Epicurus : Hæc igitur omnia, o Pythocles, memoriter tene, longe enim devitabis fabulam (116).

Lucretius etiam quomodo mundi formentur, quomodo, in ipsis res creentur, augeantur solvanturque *sine opera divom*

[1] Cf. Martha, *op. cit.*, p. 231 sqq.

[2] Cf. Crouslé, introductionem ad librum « Lucrèce de la Nature », inscriptum, I; cf. Havet, *Origines du christianisme*, I, 349.

[3] Cf. Lange, *Gesch. d. Mat.*, I, c. IV.

ostendere conatur, ut *religionum animos nodis* exsolvat (I, IV, passim).

Si ex altera parte primam e Sententiis ratis rursus nunc legimus in qua deos esse æternos et immortales neque ipsos negotia habere neque alii exhibere putat Epicurus, si etiam Epistolam ad Menœceum attingimus quæ Deos beatos et immortales habiturum esse qui ipse beate honesteque vivere velit primum ponit, Epicurum quidem sensus sequentem ex evidentibus ad incerta progredientem, naturæque leges quæsivisse, eum autem, theologia posita, Deos mundis formandis atque gubernandis intervenientes, hominesque vivos aut mortuos curantes, negavisse aperte perspiciemus ; nihil enim Diis tribuere quod perfectionem, beatitudinemque et æternitatem minuere possit, totius philosophiæ præsertimque physiologiæ, ut eam tantum nunc attingamus, principium habet Epicurus qui in Epistola ad Herodotum ita loquitur : In meteoris motum et conversionem ac defectum ortumque et occasum et his similia neque ministerio cujuspiam fieri existimandum est et ordinatione sive imperio, qui omnem simul beatitudinem et immortalitatem habeat : *neque enim beatitati conveniunt negotia et curæ et iræ et gratiæ, sed infirmitate ac timore et indigentia proxima ista fiunt* (76-77). Quædam etiam ignea contorta, eam beatitudinem consecuta, secundum voluntatem hos motus accipere non est putandum. Quos motus plurimis modis fieri putare quidem licet, simpliciter autem nihil esse eorum quæ in incorruptibili ac beata natura discretionem suggerunt aut perturbationem ullam affirmare oportet. Perturbatio, ut ipse addit, humanis animis maxime propria fit in eo quod hæc cælestia et beata opinentur et incorruptibilia et una contrarias his voluntates habeant et actiones et passiones [1], et sempiternum malum esse aliquid secundum fabulas (κατὰ τοὺς μύθους) et sperent et suspicentur.

In Epistola ad Pythoclem eadem leguntur : ad hæc (circuitionis ordinem) ait Epicurus, divina nusquam natura admoveatur,

[1] πάθη apud Gassendum quem sequimur, Cobet autem αἰτίας legit.

sed immunis a ministerio et in omni sua beatitate servetur (97) ; modis etiam plurimis fulmina fieri posse, modo longe absit fabula (μόνον ὁ μῦθος ἀπέστω, 104) dicit Epicurus qui mox ea adjicit : unam causam stellarum errantium assignare, quum multiplices ea quæ in conspectu sunt præbeant, insanum est et minime congruenter ab iis fit qui vanam astrologiam profitentur inaniterque quorumdam causas reddunt, quandoquidem divinam naturam nequaquam absolvunt ministeriis (113) ; deinde : significationes quæ in quibusdam animalibus fiunt, per casum temporis fiunt ; non enim animalia necessitatem aliquam afferunt ut fiat tempestas, neque sedet aliqua natura divina quæ horum animalium observet exitus ac deinde hujusmodi efficiat signa (115). In Epistola ad Menœceum quæ spectat ad enuntiationes de diis, plurimorum opiniones habet falsas qui detrimenta maxima pessimis quibusque a Diis et commoda item probis inferri credunt (124). Hominem deinde quo nullus est præstantior primum pie de diis opinantem (τοῦ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος) fingit (133), fatumque a Stoicis [1] Providentiam habitum damnat : præstabat, ait, vel fabulam quæ de diis traditur sequi quam physicorum servire fato ; illa enim spem veniæ ostendit cultu deorum, hæc inevitabilem necessitatem habet. Fortunam etiam esse deam, ut plurimi suspicantur, negat, nam deus nihil temere agit, οὐδὲν ἀτάκτως θεῷ πράττεται (134).

Lucretius autem physiologiam ad religionem pugnandam, metumque excutiendum et beatam inde vitam parandam Epicureos tantum adhibuisse apertius faciet, si ejus scripta ordine evolvimus. Unde anima atque animi constet natura (I, 125) noscere oportet, ut quæ res nobis vigilantibus obvia mentes terrificet morbo affectis, somnoque sepultis, quum cernere audireque coram eos, quorum morte obita tellus amplectitur ossa, videmur, perspicere possimus. Principium sumit deinde poeta : « Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam... neque ad nihilum reduci, undeque creentur, res quoque

[1] Quod sane Democrito ipsi convenit, verbum autem δεσπότιν Stoicorum in Deum maxime cadit.

modo fiant sine opera divom monstrare conatur, ut eorum formidines dirimat qui deos fingunt, quum multa in terris cæloque fieri tuentur quorum causas nulla ratione videre possunt (143, sqq.) ». Deos etiam mundum formasse negat cujus natura tanta stat prædita culpa (II, 184). Quod postea se apertius demonstraturum indicat. Si poetam res formatas explicantem sequimur, naturam liberam superbisque dominis privatam omniaque sine deorum auxilio sponteque producentem statim videbimus. Deorum autem placidum ævom vitamque beatam degentium, quis, summam immensi regere, habenasque profundi validas in manu moderanter habere, cælosque omnes pariter convertere, omnesque terras feraces ignibus ætheriis suffire, in omnibus locis esse omni tempore præsto ut nubibus tenebras faciat, sonituque cæli serena concutiat, fulmina mittat ædesque suas sæpe disturbet et recedens, in deserta sæviat, exercens telum quod sæpe nocentes præterit innocentesque exanimat, potis esse videtur? (II, 1094, sqq.).

Mortalium genera cuncta creavit terra, vel potius eadem genuit quæ nunc ex se alit; ea enim genera superne de cælo in arva funis non demisit (II, 1150, sqq.). Nunc autem effeta tellus agricolarum vires conterit iisque parum reddit, quum cælum fatigantes antiquum genus, *ut pietate repletum*, angustis finibus ævom perfacile toleravisse credunt !

Oculos ad videndum, suras femoraque ad ambulandum, manus ad prehendendum, ullam etiam corporis partem ad utendum, creata fuisse negat. Quæ quidem gignit primum natura, eorum autem usum postea invenimus (IV, 816, sqq.). Plerosque etiam culpat qui multo sanguine aras conspergunt, donisque altaria adolent ut gravidas Dii reddant uxores, nam sterilem Dii neminem faciunt (IV, 1,221, sqq.).

Solem lunamque sponte sua cursus perennes inter cælum et terram lustrare ad fruges atque animantes augendas vel aliqua divum volvi ratione non vult. Qui enim *Deos securum agere ævom bene didicerunt*, cælestia qua ratione geri possint adhuc mirantur, in antiquas religiones statim referuntur dominosque, quos omnia posse credunt, acres adsciscunt (V,

76, sqq.)[1]. Religionem sequentes, qui terras et solem, cælum, mare, sidera, lunam corpore divino manere putant pœnasque pro immani scelere eos pendere qui immortalia mortali sermone notent, non credendos facillime judicabimus. Quæ procul usque adeo a divino numine distant ut notitiam potius præbeant quid sit vitali motu sensuque remotum (114, sqq.)[2].

Mundum etiam hominum causa paratum propterea que opus adlaudabile divum nobis laudandum, æternumque dicere non fas est : quid enim emolumenti immortalibus atque beatis gratia nostra largiri queat, ut nostra quidquam causa gerant ? Quidve novi potuit tanto post ante quietos illicere, ut vitam priorem mutare cuperent? qui sane in tenebris ac mœrore jacebant donec rerum genitalis origo diluxerit! beatam autem quum degerent vitam, quid novitatis amorem tantum accendere potuit? Unde etiam res gignendas notitiamque hominis Dii invenerunt, quo modo principiorum vim, et quid inter se, permutato ordine, possent, cognoverunt, si natura ipsa creandi specimen non dedit (156, sqq.) ?

Qui cælum attente inspicit nequaquam *divinitus* rerum naturam esse paratam statim affirmat, *tanta stat prædita culpa!* Montes enim et silvæ, rupes et vastæ paludes, mareque majorem tenent partem[3]. Quod superest, partim æstu, partim gelu mortalibus rapitur, partim sentibus, ni vis humana resistat, obduceretur. Quæsita tamen magno labore sol aut imbres vel gelidæ pruinæ ventique jam frondentia et florentia perdunt! Genera etiam ferarum hominibus infesta alit natura, anni tempora morbos apportant, mors immatura vagatur, puer nascitur miser vagituque lugubri locum complet, quippe qui tantum in vita malorum transire debeat, dum animalibus omnia parit tellus et natura (195, sqq.)[4].

[1] Cf. Patin, Analyse littéraire, *Lucrèce*, V^e livre, édition Benoist et Lantoine.
[2] Cf. II, 644.
[3] Plerumque legitur : *avidam* partem — quod non accipit Lachmann qui *aliquam* immerito legit. Munro ponit *avidei*... montes et Bernays *avide*... possedere. — (Cf, Benoist et Lantoine, 84). — Cujus verbi sensus non incertus est.
[4] Quæ jam (v, 76) legimus, quæque repetita quod spectet poeta apertius declarant.

Mundum gignere æternumque servare quomodo possent Dii qui adversus naturæ fœdera niti impotentes, delubra simulacraque sua fatisci sinunt (308)? Rursusque, origine Deorum apud priores exposita, ad miseros mortales redit poeta :

O genus infelix humanum, talia divis, Quum tribuit facta atque iras adjunxit acerbas !

Ultimo in libro, priusquam quæ fiunt in terris cæloque explicet, rursus eos increpat qui opera, quorum causas videre non possunt, divino numine fieri rati sunt. Qui deos securam agere ætatem bene didicerunt, qua ratione quæque geri possint mirantes, in antiquas religiones referuntur et dominos acres, quos omnia posse credunt, rursus adsciscunt[1]. Diis autem indigna eorumque pacis aliena putare nisi respuemus, delibati per nos Dii sæpe nobis oberunt, aut potius, nam Deorum summa vis violari non potest, nosmet nobis quietos placida cum pace constituemus iratos (56, sqq.) miserrimamque vitam nobis parabimus. Quam a nobis longe rejicere verissima ratio sola potest.

Fulmina plurimis fieri posse modis quum explicavit, Tyrrhena [2] volvere carmina ad indicia mentis divum occultæ perquirenda non operæ pretium esse dicit. Si Jovem aliosque deos fulmina mittere contendunt, cur malos tranquille vivere dii sinant eorumque pectora ad omnes docendos homines fulminibus non transfigant? cur etiam contra, innocentes in flammis volvuntur turbine cælesti et igni subito correpti? cur fulmina loca sola petant et frustra laborent? cur nunquam cælo puro fulmen in terras Jupiter jaciat? cur mare feriat? Postremo, cur sancta deum delubra suasque sedes fulmine infesto discutiat et deorum simulacra frangat, dempto imaginibus vulnere suis honore? Cur plerumque alta petat loca plurimaque ejus ignis in summis montibus vestigia cernamus?

Quum de Avernis loquitur, in his regionibus Orci esse januam non credendum animadvertit, qua dii Manes inferne in

[1] Cf. Plinium, *H. N.*, vii, 1.
[2] Seneca, *Quæst. nat.*, ii, 47, sqq.

oras Acheruntis animas forte ducant (763 sqq.), ut cervi naribus serpentia sæcla de latebris ducere putantur.

Lucretius quidem ad metus Deorum tollendos, præsertim e mundo Deos tollit. Velleius autem apud Ciceronem Deos *æternos* et *beatos* mundum neque formare neque curare præcipue in lucem proferre conatur. Futiles commentitiasque dicit Platonis sententias qui Deum opificem ædificatoremque mundi habet, *anumque fatidicam* Stoicorum πρόνοιαν vocat, mundumque habere Deum, portenta et miracula, non disserentium philosophorum sed somniantium esse putat. Difficultate enim materiæ fingendæ et immortalis mundi qui natus est faciendi omissa, Velleius, Lucretii instar, cur mundi ædificatores repente exstiterint, innumerabilia sæcula dormierint, cur etiam mundum signis et luminibus, tanquam ædiles ornare concupiscerent, vicissim sciscitatur. Ut Lucretius, negat etiam mundum hominum causa a diis constitutum fuisse ; nam si sapientum causa factum dicis, propter paucos tanta est facta rerum molitio, sin autem stultorum, primum causa non fuit, cur de improbis bene mereretur, deinde quid sunt assecuti, quum omnes stulti sunt miserrimi ?

Mundus ergo deus maxima celeritate motus non videt quo modo beatus esse possit ; Anaximandri et Anaximenis, Alcmæonisque et Empedoclis deos esse veros non putat qui æterni non sint ; Parmenidem reprehendit quod bellum, discordiam, cupiditatem, ceteraque generis ejusdem ad deum revocet : quæ vel morbo, vel somno, vel oblivione, vel vetustate delentur ; Aristotelique qui mundum semper se moventem, inde nunquam beatum, Deum habet, non parcit !

Poetas deinde objurgat qui et ira inflammatos et libidine furentes induxerunt deos ; feceruntque ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus ; odia præterea, dissidia, discordias, ortus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos. Cum poetarum errore, portenta Magorum Ægyptiorumque vulgique opiniones jungit.

Dii æterni et beatissimi, ergo præstantissimæ naturæ, neque

ira neque gratia teneri possunt; itaque nihil agunt, nullis occupationibus sunt implicati, nulla opera moliuntur, sua sapientia et virtute gaudent, habentque exploratum, fore se semper quum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Qui mundum putant deum, deum celeriter motum, ergo minime quietum et beatum fingunt; qui etiam deum in ipso mundo ponunt regentem atque gubernantem, cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque servantem, terras et maria contemplantem, hominum commoda vitasque tuentem, eum certe molestis negotiis et operosis implicatum tenent. Epicurus autem, beata vita in animi securitate et in omnium vacatione munerum posita, natura mundum, nulla divina interveniente solertia, effectum esse docuit.

Cicero ipse, in secundo de divinatione libro, eadem denuo dicit : Primum enim hoc sumitis (Stoici). Si sunt Dii, benefici in homines sunt. Quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat, quidquam deos nec alieni curare, nec sui? (II, 104). Torquatusque, alio in loco, quid spectent Epicurei, physiologiæ studentes, manifestius reddit : sic, ait, e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem et constantia contra metum religionis et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublata (I, 64).

Philodemi[1] etiam fragmenta fere eadem, quæ in Ciceronis libris jam legimus, nobis proferunt : poetas primum qui de Deorum adulteriis (p. 10-12), bellis (28, 32, 40, 45), dolis, sævitiis, debilitate, doloribusque, morte etiam (Æsculapii) loquuntur eosque in aliorum Deorum vel etiam hominum servitutem redactos fingunt, vehementer reprehendit (*Gomp.*, 1-60). Priores deinde philosophos oppugnat iisque argumentis, quæ ab ipso probabiliter mutuatus est Cicero, utitur. Quæ de præmiis et pœnis mortem secuturis olim sentiebat vulgus, nunc a philosophis, ait, linquuntur, οὐδεὶς γὰρ ὡς εἰπεῖν τῶν ὠφελεῖν καὶ βλάπτειν εἰρηκότων φιλοσόφων τοὺς θεοὺς ὁμοίας τοῖς χυδαίοις

[1] Quem quidem mutilatum post Ciceronem integrum ponimus.

ὑπέλιπεν τὰς ὠφελίας καὶ τὰς βλάβας (97) vulgusque ipsum Diis nocendi facultatem eripit : πολλοὶ δ' οὐδὲ βλάπτειν ὅλως ἔφασαν αὐτούς. Plurima etiam de Deorum æternitate beatitudineque et perfectione dicit quæ ipsos μηδὲν ποῖειν continent (114 sqq.), Stoicos nobis δεινοὺς τυράννους linquentes insignitius exprobrat.

Plutarchus non dissimilia nobis tradit : neque metuendæ sunt, ait, nobis Epicureorum sannæ atque risus quibus etiam adversus providentiam (κατὰ τῆς προνοίας) uti non verentur, dum eam fabulæ titulo irrident, μῦθον αὐτὴν ἀποκαλοῦντες (*de def. orac.*, 420); Epicurei, rursus ait, freti pulchra, ut ipsi dicunt, physiologia, religioni illudunt (*id.*, 434). In libro etiam de communibus notitiis, illi (Stoici) Epicuro nihil, ait, non negotii facessunt *io, io, proh, proh*, vociferantes, quod is præsumptionem (πρόληψιν) de diis labefactet Providentia tollenda (1075). Quæ verba, ea jam a nobis dicta, confirmant simulque a Stoicis Epicurum vehementius reprehensum fuisse nos certiores faciunt. In opere quod nec posse suaviter vivi secundum Epicuri decreta inscribitur, tradita complet : quodsi Epicurei in anticipata Dei notione tradenda Providentiam reliquissent atque... quoniam autem finem disputationi de diis hunc proponunt, ut non metuamus deum atque ita desinamus turbari (1092) [1], ...qui gratiam et iram e divina natura tollunt (1101) calumniaque Providentiam impetunt, quæ hominibus tanquam pueris Empousa [2] (Ἔμπουσαν) ingruat aut Furia tragica scelerum vindex (ποινὴν ἀλιτησιώδη καὶ τραγικὴν ἐπιγεγραμμένην) (1101). Deinde, in libro adversus Coloten, Epicureos increpat qui divinationem [3], qui providentiam deorum negant (1123).

Sextus Empiricus Epicuri placita hac de re breviter contrahit : μὴ ἐπιστρέφεσθαι ἡμῶν τὸ θεῖον (Hyp., I, 155) ὁ θεὸς οὐ προνοεῖ τῶν ἐν κόσμῳ (II, 5) ; τὸ γὰρ μακάριον καὶ ἄφθαρτον, ὁ Ἐπίκουρος φησι, μήτε αὐτὸ πράγματα ἔχειν, μήτε ἑτέροις παρέχειν.

[1] Inter duo ab Epicuro, ut vidimus, spectata, unum tantum, dicit Plutarchus.
[2] Velleius eam « *anum fatidicam* » vocat.
[3] Eadem leguntur in Pseudo-Plutarchi libro *de Plac. ph.*, X.

Lactantius etiam, in libro de Ira Dei, in lucem ea produxit quæ contra Providentiam dicebant Epicurei : Deus aut vult tollere mala et non potest, aut potest et non vult : aut neque vult neque potest : aut vult et potest. Quorum tria, ultimo tantum excepto, accipi non possunt. Si autem Deus vult et potest, quod solum Deo convenit : unde ergo sunt mala ? aut cur illa non tollit [1] ? Si est in Deo, rursus ait, lætitiæ affectus ad gratiam et odii ad iram, necesse est habeat et timorem et libidinem et cupiditatem ceterosque affectus qui sunt imbecillitatis humanæ [2]. Deus itaque, ut nobis videtur, mundum hominibus præparavisse non potest, nam mala primum mundo insunt, deinde Deus qui talia fecisset, bonus igitur fuisset, id est sine gratia vel ira non fuisset, ergo cupidus vel timidus, ideoque imperfectus (quod non admittit Epicurus) continuo fieret.

Hippolytus etiam eadem breviter memorat, ὅλως πρόνοιαν μὴ εἶναι μηδὲ εἱμαρμένην ἀλλὰ πάντα κατὰ αὐτοματισμὸν γίνεσθαι (*Ref. hær.*, I, 22).

Quæ Epicurei de diis negaverunt brevius certiusque nunc proferre possumus.

Dii æterni, beati, perfecti sunt ; mundum ergo formare et gubernare, hominum viventium vel mortuorum curam suscipere iis quam minime convenit.

Atomos primum neque creaverunt, neque motu Dii donaverunt. Cujus sententiæ nullam rationem profert Epicurus.

Dii etiam mundum non formaverunt : sine opera Deorum, mundum exsistentem monstrare Epicurei potuerunt ; qui etiam imperfectus nobis apparet ; sive enim ad homines miserrimos, sive ad mundum ipsum spectamus, consilii nullum vestigium, nullam artem adhibitam proferentem, quæ Deos rationis participes et perfectos intervenisse testentur. Mundum deinde ordinare quam minime potuerunt, qui machinas ad materiam domandam nusquam reperissent ; qui beatam vitam, omnia or-

[1] Cf. Leibnitz, *Essais de Théodicée*.

[2] De animalium origine dicit, Lucretium laudans in libro de opif. Dei c. 6 ; de causa finali (id) ; cf. supra quæ jam retulimus.

dinantes semperque regentes, præsertim non egissent. Mundus enim, apud Epicurum, non in æternum formatus legibusque certis tantum servandus. In Universo, formati quibuslibet temporibus pereunt mundi, novi autem quibuslibet temporibus nascuntur ; mundorumque in unoquoque res recentes priorum locum occupant, viventia viventibus succedunt novaque etiam genera ad vicem pristinorum assidue accedunt. Quomodo ergo tot tantaque continuo gignentes, destruentes rursusque parientes beati essent Dii [1] ? Quomodo mundos formandos aut dirimendos assidue perlustrantes perturbationes vel etiam exitium vitarent ? Aut contra, nisi eos habitarent, quomodo eos ordinare gubernareque possent ? Utcumque autem erit, quomodo spatii infiniti in omni parte adessent ?

Dii etiam homines non curant. Quorum vitam sæpius infelicissimam deos perfectissimos regere non credendum : Dii enim tyranni semper metuendi, facultatem in melius vitæ mutandæ nobis adimentes, nosque fati legibus adstringentes, miserrimos tandem imperfectosque homines reddentes, ipsi beati perfectique non essent. Mortuos autem curare quam minime possunt. Animus enim, ut corpus, materia constans, simul ac corpus, totus dissolvitur. Dii etiam, in æternum eos punientes qui minimo tempore peccaverunt, quomodo sint perfecti, beatosque esse malos, bonosque contra miseros sinentes, hominesque eorum imperata detrectantes sæpius videntes, quomodo sint beati, nescimus. Qui quoque, hominum actiones semper ubique gubernantes, quietem et beatitudinem servare certe non possent.

Divinationem simul ac Providentiam [2] omnino tollunt Epicurei [3].

[1] Lange, *Gesch. der Mat.*, I, 137 : « Au-dessus, au-dessous, à côté de nous, il existe des mondes en nombre incalculable... A cette seule pensée doit s'évanouir la croyance à l'action directrice des dieux dans l'Univers. »

[2] Cf. Havet, *Origines du christianisme*, I, 33.

[3] Cf. infra, p. 102.

II

Nonnulli tamen omninone deos e mundo vitaque humana Epicurus ejusque discipuli pellerent, aliquando quæsiverunt. Ritter etiam superstitionis Epicurum fere accusat : qui deum negat [1], ait, umbras tamen apparentes habet (so begiebt es sich wohl, dass ein starker Geist, welcher Gott leugnet, noch an Gespenstererscheinungen glaubt, G. der Ph. III, 492), Zellerque Epicurum simul ac Stoicos hominum divinam originem habuisse putat versusque Lucretii testatur (III. I, 421) :

> Denique cælesti sumus omnes semine oriundi (II, 991.)

Et :

> Cedit item retro de terra quod fuit ante
> In terras : et quod missum est ex ætheris oris
> Id rursum cæli relatum templa receptant. (II, 999.)

Uterque autem erravisse videtur : nullam enim rationem profert Ritter ; Zeller etiam versus omittit qui Lucretium allegorice locutum esse probant. Versum enim primo citatum, *denique cœlesti sumus omnes semine oriundi*, hi sequuntur :

> Omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
> Umoris guttas mater cum terra recepit,
> Feta parit nitidas fruges arbustaque læta
> Et genus humanum parit omnia sæcla ferarum etc. [2].

[1] C. MARTHA (367), sequi nequimus qui Epicurum divinationem *solum* sustulisse dicit, nam idem fecerunt Xenophanes (cf. supra), Epicuro prior, præsertimque Carneades Epicuro posterior. (BOUCHÉ-LECLERCQ, *De la Divination*, I, 80) ita loquitur : l'Epicurisme si dédaigneux jadis pour la divination, la respectait ou feignait de la respecter... Celse a pu passer pour épicurien auprès d'Origène, après avoir fait une véritable profession de foi en l'honneur des oracles. Celsus autem non fuit Epicureus, Diogenesque fere eodem tempore Epicurum divinationem sustulisse dicit (135) nulliusque Epicurei opinionem diversam citat. Nonnulli quidem christiani Epicureos nominant omnes qui non christiani fuerunt. Luther, exempli causa, multis in Aristotelem conviciis jactatis, eum verum Epicureum denique dicit. Epicurei nomen, sicut antea sophistæ nomen, mox ad adversarios ignominia afficiendos adhibitum fuit.

[2] Cotta apud Ciceronem (*N. D.*, I, 32) dicit : «Seminane deorum decidisse de

Zeller quidem materiam ætheream apud Lucretium se invenisse putat quæ apud omnia viventia reperta ad honestum ab inhonesto discernendum adhibetur discrimenque inter animum et materiam, spiritualitatis negatorum more, tacite indicat : und soll auch damit hier zunächst nur gesagt sein, dass der Mensch, wie die lebenden Wesen überhaupt, *æterische Stoffe* in sich habe, so knüpft sich doch hieran, ähnlich wie bei den Stoikern, die ebenbesprochene Unterscheidung der Edleren und Unedleren im Menschen, welche in letzter Beziehung doch nichts anderes ist, als ein materialistischer Ausdruck für den Unterschied des Geistes von der Materie. Lucretius autem in versibus citatis, plantas cum animalibus jungit, quæ discrimen inter honestum et inhonestum ostendere ipsæ deberent, dum contra plantis animum negant Epicurei (*plac. ph.* v. 910). Lucretius quidem nusquam materiem æthereאm dicit, qui verborum « *semen cælestum* » sensum verbis « *liquentis umoris guttas* » indicat et homines originem divinam habuisse expresse negat :

> haud, ut opinor, enim mortalia sæcla superne
> Aurea de cælo demisit in arva
> sed *genuit tellus*.... ; (II, 1153.)
>
> Nam neque de cælo cecidisse animalia possunt, etc.
> (V, 790.)

Epicurusque tandem nullam æthereאm atomum in animo esse putat [1].

Qui Lucretiani poematis initium solum legerit, deos populares omnino sustulisse Epicureos in incerto primum relinquet. In invocatione quidem ad Venerem hæserunt omnes interpretes, quorum unus Lucretium Venerem cum Marte adulterium committentem derisisse contendit ; alius Providentiam putat

cælo putamus in terras et sic homines patrum similes exstitisse ? vellem diceretis ; deorum cognationem agnoscerem non invitus. *Nihil tale dicitis*, etc. » Quæ certe idem significant quam Lucretii versus.

[1] Cf. P. v. Gizycki, Einleitende Bemerkungen zu einer Untersuchung über den Wert der Naturphilosophie des Epikur ; quod breviter exposuimus (*Revue ph.*, XVIII, 707).

poetæ confundendo mentem misisse ut pessimam invocaret Deam testareturque hominem, religione relicta, inepta tantum fœdaque proferre! Bayle invocationem habet jocum, allegoriamque physicam, dum alius ipse Venerem invocans, Lucretium religiosum se præbuisse contendit ut hominum delectandorum viam inveniret, atque ita quæ postea exponuntur ab initio ipsum refellisse [1]. Vir etiam, qui inter doctos eminebat, longius progressus est ; in opere Lucretii multa se invenisse putabat quæ ad Lucretii opiniones refellendas satis valerent. Lucretius, aiebat, Anti-Lucretium ipse nobis præbet [2]. Alius autem scrip-

[1] Cf. C. MARTHA, *op. cit.*, p. 357.

[2] LUCRÈCE, 5e livre, BENOIST et LANTOINE. *Projet d'introduction* (PATIN), page 5, § 8. Sorte d'Anti-Lucrèce anticipé chez Lucrèce lui-même. Analyse littéraire (PATIN), page 10 : « N'y a-t-il pas encore là, dans ce qu'il dit du penchant qui nous fait rapporter l'ordre du monde à une cause intelligente, un aveu contraire à sa doctrine, comme il lui en échappe tant à lui l'adversaire des causes finales et qui va bientôt les admettre par mégarde ?... » — Page 12 : « Ici comme souvent ailleurs, se rencontrent sous la plume de Lucrèce des expressions qui nous ramènent avec charme à un tout autre ordre d'idées que celui où il voudrait nous retenir, à l'idée d'une création providentielle dont l'homme doit remercier l'auteur... » — Page 13 : « Par ce coup de théâtre, *à l'insu de Lucrèce et contre sa volonté*, se relève la condition humaine, et se rétablit du même coup la Providence... » — Page 15 : « Lucrèce se corrigera lui-même... » — Page 28 : « Lucrèce n'est pas aussi étranger qu'on peut le croire et qu'il le pense lui-même à l'idée de la Providence... » — Page 29 : « Le rôle actif donné à la Nature dans ce poème, où elle intervient à tout instant comme une personne divine, le continuel appel qui y est fait à ses lois, ne témoignent-ils pas de l'impuissance du poète pour faire sortir uniquement de la fortuite combinaison de ses atomes l'ordre de l'univers ?... » — Page 31 : « Qui dit lois, dit intelligence ; qui dit intelligence, dit Dieu. Ce n'est pas se passer de Dieu, comme il en a la prétention, que de faire intervenir les lois de la nature... » — Page 47 : « Il faudrait changer peu de choses (à son argumentation) pour en faire une magnifique démonstration de la Providence divine... » — Page 56 : « Une autre grandeur, la grandeur de Dieu, manque (à ce livre), mais pas autant que l'aurait voulu Lucrèce. Elle se trahit, malgré lui, par des traits inattendus, dans ces intelligentes combinaisons du hasard, dans ces sages lois de la nature, dans toutes ces dispositions vraiment providentielles auxquelles il ne faut que rendre leur nom pour réfuter Lucrèce par lui-même... » Cf. *Études sur la poésie latine*, I, *passim*.

SCHWARZ, in opere jam citato longius procedit : « Quodsi, ait (p. 152), jam exquiramus causas quamobrem Epicuri theologia tam male audiat et a tam multis identidem infametur, reperiemus multas esse. Primum enim philosophi veteres sectæ quisque suæ consuetudine et amore cæcati florentissimum Epicuri hortum infamare laborarunt... omnium vero opinio satis confirmari potuit partim moribus quorumdam Epicuri discipulorum, partim inscientia præceptorum doctoris hujus, partim reliquorum præceptionum ejus suspectis vocabulis et simillibus rebus. Hæ fere sunt causæ, quæ sententiam Epicuri de diis infamarint... ». Deinde noster addit auctor (p. 178) : « Hactenus ergo pervenimus ut, quod omnis vetustas et

tor Epicurum Deos populares sustulisse quidem fatetur, sed magistrum ejusque discipulos, Socratis, Platonisque et Stoicorum Providentiam nunquam negavisse contendit, Platonem quippe qui neque invadant neque refellant, sed omnino ignorent [1].

Omnes autem illas interpretationes accipere non possunt qui attente Epicureorum scripta legunt.

Primum enim Venerem vocare potuit Lucretius qui, Epicureorum instar, Deos habebat colendos, et, velut quivis Romanus, Deam in aliquo templo positam depingere poterat [2]. Quomodo autem eam Deam sub cælum mareque navigerum et terras frugiferentes concelebrantem, omneque animantum genus concipientem, et naturam rerum solam gubernantem serio induceret ? Quæ Epicureorum placitis manifeste repugnant. Verum ea ad litteram accipere non convenit. Lucretius enim sibi proponit religionum nodis animos exsolvere : in eodem libro, postquam nihil ex nihilo fieri statuit, unde animale genus generatim in lumina vitæ reducat Venus aut unde tellus alat atque augeat viventia, quærit, si ætas perimat materiam omnem (220-223).

In secundo libro, terram, atomos quæ mare et ignem, omniaque ad homines animaliaque alenda formare possint continentem, magnam deum matrem hominum et ferarum habitam

pæne proxima etiam tempora quasi per conjurationem quamdam tradiderant, id falsum esse reperiamus, Epicurum e mundo sustulisse conservatorem Deum et providentiam funditus extirpasse... Si infinitum tale noverat et tenebat Epicurus, cujus definitio in corpus nullum cadere possit : necesse est ut, si ab eo mundus profectus esse dicatur, infinitum illud revera sit Deus, quem rerum hujus universitatis auctorem habent saniores philosophi (p. 179)... Atqui Epicurus idem quamvis multos aut potius innumeros confinxisset mundos, tamen unum modo et singulare infinitum constituit (p. 189)... Jam igitur habemus pæne illum Deum, quem ratio sana cognoscere unum potest (193)... Et quo magis atomorum naturam perpenderis ex præceptis Epicuri, hoc minus dubitaveris, quin per ἄτομα *individua* intelligatur vis illa, quæ particulas materiæ primum conjunxerit et adhuc contineat (201)... Sapientiam et sanctitatem et justitiam et potentiam et bonitatem vindicavit Epicurus Deo, quia et vulgi depravatissimam opinionem de diis detestatus est, et excellentissimæ naturæ necessariæ sunt et ex ipsa ejus definitione Dei manant (221), etc. »

[1] MARTHA, *op. cit.*, 59, 60, 68, 106, 127. Quod olim quidam christianæ religionis defensores, adversus Græcorum Romanorumque Deos dicentes, nonnunquam contenderunt.

[2] Cf. MARTHA, *op. cit.*, p. 65.

dicit (590 sqq). Quæ illi tribuerunt poetæ ipse refert, verum terram, sensu privatam neque immortalitate aut beatitudine præditam, Deam esse negat. Deinde addit (655) :

Hic si quis mare Neptunum Cereremque vocare
Constituit fruges, et Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen,
Concedamus ut hic terrarum dictitet orbem
Esse deum matrem, dum vera re tamen ipse
Religione animum turpi contingere parcat.

Quod quidem poetis de Neptuno, Cerere, Baccho aut Cybele dicentibus concedit, ipse facit quum de Venere loquitur ; quod aliis ad superstitionem vitandam præcipit, ipse, quum de dea Romanis poetisque carissima agitur, id facit, nobisque tale sponte consilioque dixisse ostendit. In secundo libro jam eos increpat qui

ignari materiæ
Naturam non posse deum sine numine rentur
Tempora mutare annorum, frugesque creare, etc. (168).

Errant, ait, qui ad nos Deos putant tempora annorum mutare, frugesque creare et

cetera mortales quæ suadet adire,
Ipsaque deducit, dux vitæ *dia voluptas,*
Et res per Veneris blanditur sæcla propagent,
Ne genus occidat humanum....

Voluptati[1] autem hoc in loco expresse tribuit quod primum Veneri tribuerat, natura, non Dea vocatur. Quam interpretationem in quarto libro absolvit :

(1040) Veneris qui telis accipit ictus,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier, toto jactans e corpore amorem,
Unde feritur, eo tendit, gestitque coïre
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum :
Namque voluptatem præsagit muta cupido.

[1] Cf. Ciceron, *de finibus*, I et II.

Hæc Venus est nobis, hinc autem est nomen Amoris,
Hinc illæc primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, et successit frigida cura.

Dea numenque divinum nunc evanescit. Lucretius, ut non semel ait ipse, medicorum instar qui poculi oras mellis dulci flavoque liquore contingunt, ut puer amarum absinthi laticem perpotet, qui poeta et Romanus cum Memmio primum de Venere locutus est, nunc Epicuri fit verus discipulus illumque monet se ea allegorice tantum finxisse [1]; quod concessum putat, dum Deos vitæ humanæ et naturæ rerum præesse non credunt. Denique Veneri omne numen eripit quæ, simul atque ceteri Dii, neque satum genitalem cuiquam absterret (1221), neque nos in amorem invenustæ mulieris inducit :

Nec *divinitus* interdum Venerisque sagittis
Deteriore fit ut forma muliercula ametur :
Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
Morigerisque modis, et munde corpore culto,
Ut facile insuescat secum vir degere vitam.

Lucretium inde patet vulgaribus Diis fidem non tribuisse : qui apud Lucretium Anti-Lucretium se reperisse contendunt omnino errant. — Philosophum quidem reperire poterimus qui Naturam Dei ministram, omnia sine activo Dei auxilio producentem et gubernantem putat [2], verum talia nusquam dixit Lucretius [3] qui etiam ea si forte dixisset, non credendus esset, quia iterum atque iterum nos jam monuerat Deos neque naturæ neque vitæ humanæ intervenire. Quæ contra Providentiam dixerunt omnes Epicurei difficillime credas ad deos populares, non ad deos philosophorum et christianorum pertinere. Epicurus enim apud Diogenem, placita eorum refellere conatur qui

[1] Empedoclem Amorem et Discordiam introducentem secutus esse videtur, ut putaverunt Crouslé et Mayor, Lucretius. De eadem re vide Martha, *op. cit.*, p. 281.

[2] Vide quæ de ea re senserit Lamarck in nostro opere « *Les idéologues français* »; cf. Carrau, *Etudes sur la théorie de l'évolution.*

[3] Crouslé, xx. « On a dit que de cette contemplation religieuse de l'ordre de la nature à l'idée d'une Providence qui régit tout, il n'y avait qu'un pas. Soit; mais ce pas, il ne le franchit point. »

Deos ad res formandas et regendas vocant : inter vulgi fidem placitaque philosophorum nusquam discrimen facit; utraque contra, mundorum rerumque formatione naturaliter explicata, inutilia reddit. Lucretius eadem vehementius dicit. Epicurus quidem in iis quæ nunc adhuc nobis restant et Lucretius neque Socratem, neque Platonem, neque Stoicos nominant; verum Epicurus, ut jam vidimus, ejusque discipuli Colotes, Hermarchus hos omnes increpaverunt; Philodemus in libro de pietate, Velleiusque apud Ciceronem, Socratem, Platonem, Stoicosque simul ac poetas et vulgus, et vehementius fortasse reprehendunt. Lucretius ipse Platonem, quem quidem non nominat, aliquando increpat [1]. Plutarchus et Sextus fere eadem nobis ostendunt : Providentia Empousa vel anus fatidica apud Epicureos habetur. Lactantius tandem iis verbis ad eorum placita referenda fere utitur, quæ nostra ætate adhibuerunt Providentiæ adversarii. Qui hodie Deum neque formare neque servare mundum contendunt, Epicurum ejusque discipulos, præsertim Lucretium, velut præcursores, continuo vocant [2].

Qui igitur fere eadem de Providentia Socratem, Platonem Stoicosque et Christianos et philosophos novos Deum affirmantes sensisse putaverint, Epicureorum argumenta adversus omnes qui Deos creatores servatoresque mundi habent valere credent [3].

Omni tempore philosophi maximo præditi [4] ingenio, Deos perfectos omnipotentesque fingere studuerunt. Epicurus utrumque Diis tribuendum non putavit; Deos jam patrios simul atque eorum cultores Chæroniæ devictos viderat [5], velutque æquales,

[1] Cf. Woltjer, *op. cit.*, quem locum Munro in Stoicos conjectum immerito credit.

[2] Qui materiam tantum admittunt (A. Lefebvre) vel evolutionis rationem accipiunt (Fuchs), cf. infra, p. 116.

[3] Cf. Crouslé, *op. citat.*, et Royer, *Les arguments du matérialisme dans Lucrèce*, p. 28 : « L'argumentation de Lucrèce contre la création et la Providence atteint non seulement les dieux du polythéisme, mais aussi le Dieu unique. La plupart des arguments que Lucrèce emploie contre la Providence des dieux du polythéisme s'appliquent aussi à la Providence du Dieu unique que nous adorons. »

[4] Inter quos Leibnitz nominandus.

[5] Cf. supra, p. 39 sqq., et Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, 190.

Deorum vim negavit, quorum beatitudinem perfectionemque in lucem proferre maluit [1].

CAPUT VII

DII ET HOMINES, SIVE DE PIETATE ERGA DEOS APUD EPICUREOS : PIUM VEL IMPIUM EPICURUM CENSERE DEBEAMUS ?

Dii homines non curant. Felicitate æterna fruuntur hominibusque prodesse vel nocere nolunt; naturam non regunt, res igitur ad homines adjuvandos disponere nequeunt. Natura etiam libertasque humana omnia ducunt in cujusque vita; nihil, inter ea quæ nobis eveniunt, Diis tribuendum est. Porro precibus sacrisque qui Deos, ea quæ sunt in sua potestate vel natura fiunt sine Divum opera, rogat, inania insanaque facit. Deos etiam precibus et sacris lætatos, poetæ nostri instar [2], dicere fas non est : Diis enim immortalibus atque beatis quid emolumenti, ait Lucretius (v, 165), gratia nostra largiri queat? Summa felicitate continuo fruuntur neque beatiores hominum

[1] Cf. Martha, p. 102 : « Il rend aux dieux en délicieuse tranquillité ce qu'il ôte à leur puissance. »

[2] V. Hugo, *La Prière pour tous* :

Il est quelqu'un dans ce monde où nous sommes
Qui tout le jour aussi marche parmi les hommes,
Servant et consolant, à toute heure, en tout lieu,
Un bon pasteur qui suit sa brebis égarée,
Un pèlerin qui va de contrée en contrée,
Ce passant, ce pasteur, ce pèlerin, c'est Dieu !
Le soir, il est bien las, il faut pour qu'il sourie,
Une âme qui le serve, un enfant qui le prie,
Un peu d'amour !

amore, neque minus beati eorum negligentia, fieri possunt : Deos, dicit Philodemus, Epicurum sequens, velut in dolore versaturos nisi eos precemur, precari non convenit, προσεύχεσθαι. . . ἐν τῷ περὶ θεῶν, οἰκεῖον εἶναι φησίν, οὐχ ὡς λυπουμένων τῶν θεῶν εἰ μὴ ποιήσομεν (Gomp., 128).

Neque igitur hominibus, neque Diis utilia sunt preces aut sacrificia. Quæ etiam fiet pietas? quæ sanctitas?

Si ea quæ de pietate et sanctitate dici solent accepimus, Epicureos primum nihil habere quo pii sanctique fiant nobis occurret. Est enim pietas, dicit Cotta apud Ciceronem, justitia adversum deos, cum quibus quid potest nobis esse juris, quum homini nulla cum deo sit communitas? quæ pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum sit, ei deberi potest? Sanctitas autem, ut ipse addit, est scientia colendorum deorum : qui quamobrem colendi sint, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec sperato bono.

Nonnulli enim, inter eos qui simul atque Epicurus vel paulo post vixerunt, eum Deos non coluisse, vel eos placita relinquentem exsilii aut mortis metu tantum coluisse contenderunt.

Epicurus autem jam ipse apud Diogenem se impium fuisse negat (123); apud Philodemum dicit se Athenis [1] migrasse non quod impias sententias defendisset, verum quod plerosque sua philosophia lateret... οὐχ ...ἀσεβεῖς εἶχεν ὑπολήψεις, ἀλλὰ τῷ διαλεληθέναι πολλοὺς (?) ἀνθρώπους τὴν φιλοσοφίαν αὐτοῦ (Gomp., 94).

Lucretius non solum se impium esse negat, verum etiam impios putat eos qui religiosi haberi soleant :

quod contra sæpius illa
Religio peperit scelerosa atque impia facta,

et morte Iphigeniæ a patre occisæ narrata, hunc sæpe memoratum ponit versum,

Tautnm relligio potuit suadere malorum ! (I, 95.)

[1] Utrum de abitu post mortem Alexandri an de profectione circa 306, omnibus ab Athenis pulsis philosophis, agatur nescimus.

Quidam Epicuri adversarii, eum numine deorum animique immortalitate et Tartaris sublatis, homines ad omnia scelera facienda hortari contendebant (quod nonnunquam ipsi nostro tempore objicitur). Lucretius contra nobis homines, patria extorres, fœdatos crimine turpi ostendit qui nigras mactant pecudes et Manibus divis inferias mittunt, multoque acrius ad religionem animos advertunt (III, 47). Vulgi deinde pietatem vehementer increpat :

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem ; atque omnes accedere ad aras
Nec procumbere humi prostratum et pandere palmas.
(v. 1195).

Lucretius ipse se impium esse abnuit :

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Indugredi sceleris. (I, 74.)

Philodemus denique Epicuri pietatem longius in lucem proferre nititur.

Pius quidem Epicurus fuisse videtur, pii ejus discipuli quibus pietatem ipse præceperat.

Libros de sanctitate (Diog., Philod., Cic.), de pietate (Cic.) composuerat Epicurus, in quibus, Cotta Epicuri adversario judice, ita loquebatur ut Coruncanium, aut Scævolam, pontifices maximos, te audire dixisses. Pium appellat Epicurus in Epistola ad Menœceum qui nihil Diis aut ab immortalitate alienum aut a beatitudine applicat, impium autem non multitudinis deos tollentem, sed diis opiniones multitudinis applicantem (D., x, 123). Hominem deinde quo neminem præstantiorem putat qui primum de diis pie opinatur (τοῦ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος).

Non pii est hominis, ait Lucretius,

Ante deum delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.
(v, 1198.)

Magistrique instar pium habet qui ex animo longe remittit Diis

indigna alienaque eorum pacis putare (vi, 69), quique mente pacata omnia tueri potest (v, 1200).

Philodemus libros περὶ εὐσεβείας scribit in quibus Epicuri pietatem erga Deos in lucem proferre studet. Pie enim de diis opinatur, pie etiam agit, ejusque amici exemplum sequentes pie agunt. Epicurus, ut jam retulimus, Athenas se reliquisse dicebat, non quoniam impias sententias defendisset, verum quod plerosque sua philosophia lateret (Gomp., 94)[1]; quæ de festis sacrisque præcipiebat ipse faciebat : περί τε γὰρ ἑορτῶν καὶ θυσιῶν καὶ πάντων καθόλου τοιούτων ὡς ἀκολούθως ἔπραξεν οἷς ἐδογμάτισεν; leges, moresque servandos dicebat, dummodo nihil impii præciperent, ὅτι δεῖ πάντα πείθεσθαι τοῖς νόμοις καὶ τοῖς ἐθισμοῖς, ἕως ἂν μή τι τῶν ἀσεβῶν προστάττωσιν (120). Philodemus etiam Epicurum Deorum quamdam opem hominibus linquendam sensisse contendit : καὶ σωτηρίας ἀνθρώποις διὰ τοῦ θεοῦ καταλειπτέον, ὑπογράφει διὰ πλειόνων (124) exemplumque præbet « τὸ θεῶν εἵλεων ὄντων » ab ipso servatum (125). Deinde Epicuri ad Phyrsonem epistolam citat : ἡμεῖς, ait Epicurus, θύωμεν . . . καὶ καλῶς οὗ καθήκει καὶ τἄλλα (?) πάντα πράττωμεν κατὰ τοὺς νόμους (126). Non solum, iterum dicit Philodemus, ea præcipiebat, sed etiam festos dies sacraque patria ipse servabat : οὐ μόνον δὲ ταῦτα ἐδογμάτισεν, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν εὑρίσκεται πάσαις ταῖς πατρίοις ἑορταῖς καὶ θυσίαις κεχρημένος (127). In alia enim ad Phyrsonem epistola Epicurus dies festos Cooi, mysteria Athenis alibique pie observasse profitebatur. Quæ ipse servavit, omnia amicis servare præscripsit, non solum quia ea juberent leges, sed etiam quia naturales rationes ad id faciendum nos cogerent : Ἐπίκουρος φανήσεται (?), καὶ τετηρηκὼς ἅπαντα (?) καὶ τοῖς φίλοις τηρεῖν παρεγγυηκώς, οὐ μόνον διὰ τοὺς νόμους, ἀλλὰ διὰ φυσικὰς αἰτίας (128). In opere enim περὶ θεῶν inscripto, deos, non velut in dolore versaturos nisi eos precemur, verum sicut naturas vi atque perfectione præs-

[1] Longius progredi videtur Philodemus : (104) κατὰ ταῦτα τοίνυν ὅτι μὲν ὅρκοις καὶ θεῶν ἐπιρρήσεσιν ἐδοκίμαζον χρῆσθαι, γελοῖον ὑπομιμνήσκειν, ἀναμέστου τῆς πραγματείας τῶν τοιούτων οὔσης. Quæ quibusdam ex Epicureis melius quam Epicuro conveniunt.

tantes, rogandos dicit : προσεύχεσθαι γὰρ ἐν τῷ περὶ θεῶν (?) οἰκεῖον εἶναι .....φήσιν, οὐχ ὡς λυπουμένων (?) τῶν θεῶν εἰ μὴ ποιήσομεν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐπίνοιαν τῶν ὑπερβαλλουσῶν δυνάμει[1] καὶ σπουδαιότητι φύσεων. (128)[2].

In libro de musica Philodemus nostræ pietatis deos non indigere profitetur, verum pietatem erga deos sanctis sententiis iisque servandis quæ patriæ leges jubent, præsertim ostendendam putat : μάλιστα μὲν ὁσίαις προλήψεσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς κατὰ τὸ πάτριον παραδεδομένοις ἑκάστῳ τῶν κατὰ μέρος.

Cicero etiam Epicureorum de pietate erga Deos placita nobis apertius explicat. Satis erat dictum, ait Velleius, Deos beatos immortalesque fingens, si nihil aliud quæreremus nisi ut deos pie coleremus, et ut superstitione liberaremur. Nam et præstans deorum natura hominum pietate coleretur, quum et æterna esset, et beatissima; habet enim venerationem justam quidquid excellit. Pietatem igitur erga Deos æternos et beatos nos primum habere putat Velleius, qui deinde tantum metum omnem a vi atque ira talium Deorum pulsum esse notat. Alioque in loco quum homines ab Epicuro vindicatos in libertatem finxit, lectoribus notat Epicureos pie sancteque Deorum naturam excellentem atque præstantem colere.

Cotta, qui Epicureorum placita refellere conatur, eorum sententias clariores reddit : Novi, inquit, Epicureos omnia sigilla[3] numerantes. Libros Epicuri de sanctitate, de pietate adversus deos memorat, pietatem apud Epicureos exstitisse negat (cf. p. 113) qui Deos nihil curare, nihil agere putant. Quæ Epicurei proferunt ad pietatem probandam meminit : *est Deorum eximia quædam præstansque natura*, quæ nihil egregium, inquit, continet.

[1] Id verbum non significat Deos ad res formandas vel regendas aliquid valere; quod omnibus Epicuri placitis repugnat; verum ejus sensus clarus fiet, si id cum verbis

Egregias animo facies vigilante videbant
Et magis in somnis mirando corporis auctu, (LUCR.)

μεγάλων εἰδώλων (SEXTUS), etc. (cf. supra, p. 57) primum confertur.

[2] Cf. Velleium apud Ciceronem (infra).

[3] MAYOR, even the last images, not merely statuettes, but emblems on rings or other ornaments.

Seneca Epicurum Deos non aliter quam parentes colere, propter majestatem eorum eximiam singularemque naturam dicit; quod facit, nulla spe, nullo pretio inductus (*de benef.*, IV, 19). Si Plutarchus Epicureos sacrificia, mysteria, pompas, festos dies abolere, quæ sacra sunt debita Baccho, ceterisque Diis, seu servatoribus, seu nuptiarum præsidibus, seu aliis adimere contendit (*adv. Col.*), ea quæ jam retulimus manifestum reddunt, ipsum non quod revera faciebant Epicurei, verum quod ex eorum placitis concludendum putabat tantum finxisse. De Athenæo non libationem, non primitias Diis apud Epicurum offerri dicente (4, 27), idem dicemus.

Diogenes denique Epicuri pietatem erga Deos contra ejus obtrectatores affirmat : *τῆς μὲν γὰρ πρὸς θεοὺς ὁσιότητος καὶ πρὸς πατρίδα φιλίας ἄλεκτος ἡ διάθεσις* (10).

Qui ea quæ jam retulimus attente legerit Epicurum Epicureosque pios fuisse haud dubie dicet. Nonnulli tamen impios magistrum discipulosque habuerunt. Quod facile intelliget qui hominum judicia perpendere solet. Plurimi enim eorum qui Deos colunt, eos colunt ut assequantur præmia pœnasque vitent quæ Dii omnipotentes vel piis tribuere vel ab impiis repetere possunt. Deos nihil curantes, nihil agentes, a quibus nihil precibus impetrare possent haud dubie non colerent. Perpaucos autem qui tales Deos fingant precibus usuros plurimi non putant. Eos pie vivere Deosque precari volentes quum vident, cur id faciant non perspiciunt eosque pietatem tantum simulare statim credunt. Quæ interpretatio, si de uno homine agebatur, statim non accipienda, inspicienda saltem esset; quum autem de multis hominibus agitur qui eadem placita suscipientes devoti ab adversariis ipsis dicuntur, quique omnes statim impii nobis habendi sunt, eam rejiciendam [1] putamus.

Cur ergo Epicurei erga Deos pii et videri et esse voluerint alio in loco nobis quærendum. Leges primum deos patrios precibus sacrisque colendos omnibus civibus præcipiebant. Socrates etiam qui Diis popularibus Deum supremum, mundum homi-

[1] Cf. infra, *de Epicuri atheismo.*

nesque regentem, præponebat, leges ad Deos patrios colendos pertinentes servabat jubebatque discipulis servari ; atque moriens Æsculapio gallum immolandum meminerat. Plato qui de diis vulgi opiniones nonnunquam ridebat[1], in opere de legibus inscripto, leges ad deos patrios colendos instituebat. Pyrrho etiam, qui Deos esse aut non esse in incerto relinquebat, leges præsertim ad religionem pertinentes servabat discipulosque servare monebat ; ipse etiam in patria a civibus suis pontifex maximus eligebatur. Epicurus, qui quædam Pyrrhonis placita acceperat, docente Nausiphane (*cf. supra*, p. 48) omnibus legibus parere ipse statuit, sacraque omnia, priorum instar, non rejecit.

Epicurus etiam Atheniensis erat : statuæ forma præstantes eum delectabant quumque poetas non semel increpavit, sculptores nunquam invasit ; utrique tamen Deos fingebant, illi quidem Diis vitia tribuebant, hi contra eorum eximiam formam tantum reddere studebant. Jovis, Veneris Minervæque signa ut pauca nominem, inter pulcherrima Athenis numerabantur. Qua voluptate signa in templis vel per vias inspiciebant, eadem continuo simulacra percipiebant quæ e Deorum corpore missa putabant[2]. Dii quidem nulla eorum quæ rogare solent homines nobis concedere possunt ; eorum autem pulchras imagines ad nos mittunt quæ felicitatem præsenti tempore magnam nobis præbent, majoremque etiam in futurum tempus parant. Itaque Philodemus Epicurum quoddam Deorum auxilium reliquisse dicere potuit, Epicureique magistri placita sequentes, vulgoque etiam judice, Deos ad homines cum eorum imaginibus voluptatem quamdam mittentes colere potuerunt.

Aliam etiam multoque meliorem rationem afferre Epicureis licebat ad pietatem erga Deos probandam. Deos æternos, perfectos, perpetua felicitate fruentes fingebant, eosque esse monstrabant quod perfecta natura, quia tantum perfecta est, exsistere debeat. Ut deorum perfectio eos esse probat, sic erga eos pietatis rationem reddit. Præstantem enim naturam, quanquam

[1] Cf. supra, p. 36.
[2] Cf. Havet, *op. cit.*, I, 338.

nihil boni nobis tribuat, colendam putant, quia omnia perfectione et beatitudine præstet [1]. Virtutis eam felicitatisque eminentissimam effigiem adorandam dicunt quia eam continuo inspicientes meliores beatioresque fiant, non quidem quod Dii ipsi ad nos meliores reddendos laborent, sed quod bona perfectaque perspicientes in dies iis quæ contemplantur similiores fiant.

Antiquos dictum est, precem humilem amorisque plenam quam commendant Christiani, ignoravisse semperque minari se nunquam Deos precaturos esse, nisi ea obtineant quæ a Diis precibus petunt [2]. Quod verum est, dummodo de vulgo et plerisque philosophis tantum agatur, quod contra falsum invenimus, Epicureorum instituta attingentes. Sine spe enim, nullo pretio inductus Deos perfectos beatosque colit Epicurus iisque christianis quos mysticos [3] dicunt fere similis, Deos eo magis adorandos putat quo perfectiores, itaque, sua sententia, minus ad aliquid nostris precibus concedendum valentes fingantur. Qui Epicureos impios fuisse contenderunt id probare eo præsertim tentaverunt quod Deos nihil curantes nihil ad nos beatos vel miseros reddendos valentes pie sancteque colere Epicurei, nisi simulantes, possent. Plerique quidem hodie in Deum mysticorum amorem improbant, nemo autem eos impios dicit. Quod non faciendum quum de mysticis agitur, non igitur faciendum quum de Epicuro mysticorum præcursore [4] agitur. Cujus quidem pietatem forte reprehendendam, certe non negandam putabunt quicumque sine ira neque studio dijudicare student [5].

In summa, Epicurus pius videri et esse voluit : sacra patria, leges secutus, fideliter servavit : de diis sancta opinari religio-

[1] Cf. Gassendi : Anne pietas Epicuri fieri poterat commendatior ?

[2] P. Girard, *op. cit.*, 100.

[3] C. Martha, *op. cit.*, 102 sqq. ; cf. Fénelon, *Maximes des Saints :* « Il est dans cette vie un état de perfection dans lequel le désir de la récompense et la crainte des peines n'ont plus lieu. » Cf. Malebranche, passim.

[4] Cf. Martha, *op. cit.*, p. 106.

[5] Cf. Martha, *op. cit.*, 103. « Les Epicuriens dévots n'étaient pas des hypocrites. »

sorum esse hominum putavit, deosque perfectos beatosque nihil tamen ad nos beatos vel miseros faciendos valentes, pie coluit discipulosque, sua precepta fideliter sequentes, colere jussit.

CAPUT VIII

I. EPICURUSNE ATHEUS SIT HABENDUS? — EPICURUM EPICUREOSQUE DEOS CONTEMPSISSE CONTENDITUR. — DE EA RE QUAM MAXIME DISSIMILES SCRIPTORUM OPINIONES. — UTRUM DE DIIS QUÆ SENSERIT EPICURUS ATHEI PROPRIA SINT NECNE? — DEOSNE VERBIS RETINUERIT, RE AUTEM SUSTULERIT? — NIHIL PRIMUM EX SIMULATIONE PERCEPTURUM FUISSE.

II. PHILOSOPHIAM DEINDE AD ETHICAM REDUCIT, ETHICAM E THEOLOGIA PENDERE PUTAT QUÆ INTIMA PARS RATIONIS EPICUREÆ TOTIUS ITA FIT.

III. QUID PROPRIUM SIT EPICUREÆ THEOLOGIÆ? — CREDENTISNE SIT QUI FIDEM PRÆCIPIT, NON PHILOSOPHI QUI RATIONEM INVOCAT? — ATHENAS PETIT UT QUI NOVAM RELIGIONEM CONDERE VELINT. — SICUT CREDENTES, SICUT ETIAM MYSTICI, DEOS ADORAT. — EPICUREI, DEOS INTER QUOS MAGISTRUM PONUNT, HABENT ET COLUNT. — QUORUM CŒTUS FERIIS RELIGIOSORUM SIMILLIMI SUNT.

I

Utrum Epicurus Deos revera sustulerit an servaverit, persæpe a priscis temporibus usque ad nostram ætatem, quæsitum

est. Qua de re, vivo quidem Epicuro, nonnulli dubitaverunt. Epicurus enim *atheus* ab iis quorum de Diis opiniones reprehendebat dictus est, *atheos*que contra, qui diis vulgi opiniones applicabant, ipse nominavit : Dii sunt, inquit, in Epistola ad Menœceum, et certa est illorum cognitio : non autem ii sunt quod plerique existimant, neque enim eos quales putant, observant. Impius autem est, non qui tollit multitudinis deos, sed qui diis opiniones multitudinis applicat (D., x, 123). Posidonius in libro quinto de Natura Deorum nullos deos, Epicuro videri, quæque is de diis immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse (*N. D.*, I, *sub fine*) contendit. Epicurum deinde plurimi qui ejus placita aggressi sunt alia sensisse, alia dixisse contendere soliti sunt.

Lucretius, magistri instar, eos qui Epicureos popularium opinionum adversarios atheos putabant vehementer ipse reprehendit, eorum pietatem damnat, religionemque ab iis servatam malorum auctorem habet.

Philodemus in libris περὶ εὐσεβείας poetarum et vulgi omniumque fere philosophorum de diis opiniones increpat, eosque talia opinantes Deos revera sustulisse contendit. Epicurum contra pium fuisse Deosque servavisse longius ostendit. Stoicos autem qui Epicuro inimicissimi fiebant præsertim reprehendit ejusque opiniones minus etiam quam Stoicorum placita plurimorum opinionibus dissentire confirmare studet : ἐπιδεικνύσθωσαν τοῖς πολλοῖς ἕνα μόνον (θεὸν), ἅπαντα λέγοντες οὐ πολλούς, οὐδὲ πάντας ὅσους ἡ κοινὴ φήμη παραδέδωκεν, ἡμῶν οὐ μόνον ὅσους φασὶν οἱ Πανέλληνες ἀλλὰ καὶ πλείονας εἶναι λεγόντων. Ἔπειθ' ὅτι τοιούτους οὐδὲ μεμήκασιν ἀπολείπειν οἵους σέβονται πάντες καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν· ἀνθρωποειδεῖς γὰρ ἐκεῖνοι οὐ νομίζουσιν ἀλλὰ ἀέρας καὶ πνεύματα καὶ αἰθέρας· ὥστ' ἔγωγε κἂν τεθαρρηκότως εἴπαιμι, τούτους Διαγόρου μᾶλλον πλημμελεῖν (Gomp., 84).

Velleius apud Ciceronem omnium philosophorum, Epicuro excepto, opiniones increpat, Democritumque et Antisthenem, Speusippumque, Deos sustulisse ceterosque philosophos Diis aliena tribuisse contendit. Poetas Deos hominum instar fingen-

tes, magos Ægyptiosque invadit. Epicurum contra, inter omnes qui ea tractaverunt primas obtinuisse Deumque habendum esse putat qui solus vera de diis senserit. Cotta autem ex Epicureis sciscitatur cur Deos negare non audeant, meminitque *quosdam* non dubitavisse, quin Epicurus, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquerit deos, re sustulerit. Ille, vero, deos esse *putat*, nec se quemquam addit vidisse qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret, id est, mortem et deos. Deinde, *quoniam non audes, Epicure, esse Deos negare...* profert Cotta, qui τὸ « ille deos esse putat » mox oblivisci videtur. Quum etiam Epicuro multa objicit, superstitione liberari facile eos qui omnem deorum vim tollunt contendit. Epicurus quidem ex animis hominum, simul ac diis immortalibus et opem et gratiam sustulit, radicitus religionem extraxisse Cottæ videtur. Ludimur, addit Cotta, ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Posidoniique opinionem Epicuro nullos esse deos videri sentientis omnino probat.

Plutarchus, secundum Epicurum non posse suaviter vivi contendens, superstitionem quidem de diis opinioni, tanquam lemam ex oculo, adimendam fatetur, verum Epicureos e divina natura gratiam et iram tollentes deos igitur esse negavisse dicit : *καὶ λέγω... ὡς οὐχ ἧττον ἐστὶ κακὸν ἀθεότης ὠμότητος, καὶ δοξοκοπίας, εἰς ἣν ἄγουσιν ἡμᾶς οἱ τὴν χάριν ἐκ τοῦ θεοῦ μετὰ τῆς ὀργῆς ἀναιροῦντες* (*N. p. s. viv. s. Ep.* 1100-1101).

Sextus Empiricus Epicureos, quibusdam judicibus, Deos multitudinis liquisse, Deos autem naturales revera sustulisse, *'Επίκ....κατ' ἐνίους, ὡς μὲν πρὸς τοὺς πολλοὺς ἀπολείπει θεόν, ὡς δὲ πρὸς τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων οὐδαμῶς* (*adv. Phys.*, IX, 58) narrat. Ipse quidem, Epicuri verba qui legit, Epicureos Deum fortasse liquisse credendum putat. *Τάχα.. οἱ ἀπὸ τῶν κήπων, ὡς αἱ ῥηταὶ τοῦ 'Επικούρου λέξεις μάρτυροῦσι, θεὸν ἀπολείπουσιν* (*ibid.*, 64).

Julianus imperator, qui Deos antiquos contra Christianorum Deum defendere voluit, Epicureorum libros, Diis scriptorum impietatem punientibus, periisse contendit (*Fragm. or.*, p. 301. C. Spanh.).

Claudianus autem poeta an Epicurus Deos esse statuerit necne nescit :

quæ numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
(*In Ruf.*, I, 19.)

Christianorum etiam nonnulli Deos non solum Epicureorum, sed etiam ceterorum philosophorum falsos habuerunt omnesque Græcos doctos rudesve Deos negasse putaverunt. Alii autem quædam e Platone Alexandrinisque hauserunt, verum Epicureis infesti videntur. Tertullianus Socratem, Aristotelemque simul atque Epicurum increpat ; Lactantius gentilium religionem philosophiamque falsam errorumque plenam veritatique a Deo manifestæ opponit (*Inst.*, I, 1 ; III, 1) : sapientia hominum, inquit, ante Deum tantum est stultitia. Augustinus ad Ciceronem Deos revera negasse habendum fere ipse labitur. Epicurum plerique non nominant ; qui ejus nomen forte de Deo tractantes citant, Ciceronem cujus libros *de Natura Deorum* perlegunt faciliorem potius quam severiorem ad Epicurum judicandum inveniunt [1]. Per mediam ætatem, eadem pæne vidimus : Aristotelem, Platonem, Plotinumque et mysticos hunc sequentes, in honore habent ; Epicurum autem contemnunt ejusque placita nemo scienter et æque pertractat.

Litteris autem renascentibus, nonnulli mollius tractant Epicurum, aliique contra eum acrius reprehendunt. Erasmus eum extollit laudando præcursoremque Christi fere vocat [2]. Montanus, qui Epicureus simul ac Pyrrhoneus non semel dicitur, Epicurum placita quidem irreligiosa mollioraque docuisse, verum quam maxime religiose laborioseque vixisse [3] dicit. Epicureos alio in loco Deos omni cura levavisse, non Deos ipsos levavisse indicat [4]. Baco nonnullos contendisse Epicurum revera Deos

[1] Notandum tamen, Minutio Felici Epicurum Deos quidem *agere*, non autem *esse*, negavisse visum esse (Octavius).

[2] « Nemo magis promeretur nomen Epicuri quam Christus ». (La Mothe le Vayer, *Cinq Dialogues*, p. 306).

[3] *Essais*, II, c. XI.

[4] *Id.*, II, c. XII.

negasse refert, ipse autem Epicurum, quem cum Platone, quibusdam ejus verbis memoratis, confert, atheum fuisse non putat. Gassendi Epicuri placita in lucem profert, sententias quidem ejus de diis omnes non admittit qui Deum atomos creavisse, movisseque atque ex iis corpora formavisse omniaque Providentia eum regere dicit; Epicurum vero pietate commendatiorem fingit reveraque Deos reliquisse ostendit. « Commune, ait, ipsi (Epicuro) peccatum fuit cum philosophis ceteris qui, vera luce destituti a tramite recto varie deflexerunt : adeo ut, si interpretatio adversus Epicurum valeat, valitura similiter adversus omnes alios sit neque ullus futurus sit, quem non accenseas atheis quod suo quisque modo peccarit[1]. Stoicos præ aliis citarem propter Posidonium, Balbum, Epictetum. » Olivetus etiam Ciceronis libros *de Natura Deorum* quum explanat et in linguam gallicam transfert, tria atheorum genera esse statuit[2] crassissimosque inter atheos Stratonem Epicurumque vocat. Alius autem scriptor, qui totum fere volumen ad Epicuri translatorem refellendum scripsit[3], ipse Epicurum quo facilius vulgus deluderet, infirmissimum inter diversa argumenta, ad Deos probandos, adhibuisse contendit, ex quo ejus discipuli, ad Deos omnino destruendos, ea absurdiora, scilicet Deos specie humana præditos esse, hauserunt[4]; qui igitur ad alium quam Olivetus spectat finem, eadem tamen de Epicuri theologia sentit.

Diderot, in opere quod *Encyclopediam* vocamus, Epicureos honestissimos fuisse viros, pessimos autem semper judicatos fuisse Epicurumque atheum, quanquam Deos esse affirmave-

[1] Sect. I, lib. IV, c. 2. Vide infra, p. 117, a Bersot fere eadem dicta.

[2] *Théologie des philosophes grecs*, 287. « Dieu, je veux dire un esprit infini dont la nature est indivisible et incommunicable, dans lequel sont réunies toutes les perfections imaginables et possibles, sans aucun mélange d'imperfection, qui a tiré du néant l'Univers, et qui est distinct réellement et substantiellement de tout ce qu'il a créé. — Athée, j'entends un homme qui ne croit pas, qui ne ne connaît pas un Dieu tel que nous le définissons. »

[3] *La Philosophie du bon sens*, nouvelle édition (1768), avec un examen critique des remarques de M. l'abbé d'Olivet.

[4] Vol. II, p. 170, Epicurum « le plus grand et le plus parfait athée de l'antiquité » nominat.

rit, templaque celebraverit atque ad aras libenter procubuerit [1] semper habitum dicit. Quem refellere conatus est *Batteux*, qui Epicurum Deos reliquisse, templa celebravisse libenterque ad aras procubuisse fatetur, nihil autem ea probare contendit an Dii apud Epicurum, pulchris picturis similes nihilque valentes, appareant [2].

Nostræ etiam ætatis scriptores inter se pugnantia de diis Epicureorum protulerunt. Alii eos negasse Deos contenderunt atheosque nominaverunt [3], alii autem quin revera reliquerint Deos non dubitaverunt [4], alii deinde quid de Epicuri theologia censendum nescire fatentur [5]. Novaque naturæ ratio quæ rerum formationem *evolutione* explanat atque nonnulla Epicureorum placitis similia producit [6], easdem quæstiones denuo fecit ; cujus defensorum alii athei dicuntur viderique volunt [7], alii contra se Deum linquere et perfectiorem reddere affirmant [8].

Quas opiniones inter se repugnantes numerare omnes difficilius parumque utile ; diligentissimeque perpendere longius, quum præsertim nullum pæne philosophum reperias qui, vivus

[1] Art. Epicure.

[2] *La Morale d'Epicure* (1768), p. 205.

[3] RITTER, loc. supra citato ; CROUSLÉ, 69. « Les Epicuriens formaient, en réalité, une petite Eglise, mais une Eglise de matérialistes et d'athées. (144) On se demande pourquoi ils n'ont pas la franchise de déclarer nettement qu'il n'y a pas de Dieu. »

[4] LANGE, *Gesch. des Mat.*, I, 93. Nous ne devons pas croire que son respect pour les dieux fût une pure hypocrisie et qu'il se préoccupât seulement de conserver de bonnes relations avec la masse du peuple et avec la caste redoutable des prêtres. ZELLER, III, 1.

[5] C. MARTHA, *op. cit.*, 102. « Il est bien difficile de déterminer quels étaient les vrais sentiments d'Epicure..., 165. Nous ne nions ni n'affirmons l'athéisme des Epicuriens, mais nous pensons que c'est un problème encore non résolu. »

[6] Quod novissime in lucem prodere in *Kosmos*, Zeitschrift für die gesamte Entwickelungslehre, 1884, 2e v., p. 161, 251, 421, conatus est K. Fuchs. Cf. quæ breviter contraximus in (*Revue philosophique* XXII, p. 676).

[7] Cf. HÆCKEL, *Histoire de la Création des êtres organisés d'après les lois naturelles* (traduction Ch. Letourneau), p. 32 et passim.

[8] Plurimi quidem Evolutionis defensores atheos habent. Quod non accipiunt H. SPENCER (*Essais*, I, p. 228) et PERRIER (*La Philosophie zoologique avant Darwin*, 288). « On a redouté que, en montrant les êtres vivants, livrés comme les corps inanimés à l'action aveugle des forces physiques, le transformisme ne fît oublier le Créateur. La biologie moderne n'atteint pas la cause première ; elle ne supprime pas Dieu ; elle le voit plus loin et surtout plus haut. »

aut mortuus, ab aliquo adversario atheus non dictus fuerit. Harduinum omittamus cui Arnaldus, Pascalis, Thomassinus, Cartesius, Jansenius, Nicolus, etc., athei sunt (*Athei detecti*, 160, 198, etc.). Verum Spinoza habitus est atheus usque ad nostram ætatem qui nunc « Deo perfusus [1] » dicitur. Qui etiam catholicos vel lutherianos se dicunt sæpius eos qui aliam vel nullam religionem sequuntur atheos putant. Gratry miracula negantes, alii creationi non credentes atheos habent. Quis igitur ut optime dixit philosophus, cujus nullus inter eos qui Deum esse affirmant fidem infirmare tentabit, aliquo modo atheus dici non poterit [2] ?

Quæ de diis senserit Epicurus perpendamus.

Qui hodie philosophantur diversa ad theologiam pertinentia fatentur. Primum argumenta exponunt quæ Deum esse probant, deinde Dei essentiam, denique ad mundum formandum vel regendum quid valeat actio divina inspiciunt [3]. Quæ ordine considerantes, quid de Epicuri theologia sentiendum sit dijudicare experiemur.

Quod ad argumenta pertinet, Epicurus ea quæ physica dicuntur rejicit : neque ea quæ ex necessitate primi motoris (*Aristoteles*), neque ea quæ e mundi spectaculo indicia rationis nobis præbente ut Deum intelligentia potentiaque præditum, mundumque ordinantem regentemque ponamus nos cogunt, valentia putat. Quæ inter firmissima maximeque popularia numerata negantem Epicurum Deos sustulisse plerique primum affirmarent. Verum philosophi non quidem minimi idem fecerunt qui tamen athei non dicuntur. Cartesius enim ea adhibere noluit [4]. Kant etiam earum rationum priorem ad antinomiam ducere putavit idque probare studuit, alteram quidem semper honorifice memorandam dixit, nihil autem ad Deum probandum valere statuit. Nonnullique hodie ejus auctoritatem contrahendam eamque solam ad Deum unicum perfectaque

[1] « Ivre de Dieu. »
[2] Bersot, *Etudes et Discours*, p. 4 sqq.
[3] Cf. Paulum Janet, *Traité élémentaire de philosophie.*
[4] Cf. *Réponses aux premières objections.*

intelligentia præditum confirmandum non satis valere putant [1].

Atheus igitur non habendus Epicurus, quia ea non admisit argumenta.

Quod ad metaphysicas rationes pertinet, Epicurus, ut supra ostendimus, primus argumentum quod ontologicum nominamus, adhibuit Deosque, quia perfecti sint beatique, habendos statuit.

Qui ergo rationem primus invenit qua usi sunt religiosissimi homines, Anselmus, Cartesius Leibnitziusque, Deos sustulisse immerito voluisse diceretur.

Ex iis quæ morales dici solent, eam quæ e consensione gentium pendet, primus vel unus e primis invenit maximamque auctoritatem ei tribuit. Quæ moralis proprie dicitur apud Epicurum invenire est, qui Deos perfectos beatosque exempla nobis necessaria ad virtutem beatitudinemque assequendam putavit.

Quas denique rationes ad animi affectus referunt non omnino ignoravit Epicurus, qui eas eximias quas Athenis contemplabatur statuas imagines Deorum perfectorum, pulchritudine, ut ait Plato, captus [2], esse affirmavit.

Ad essentiam Dei nunc veniamus. Ab iis quæ Deo tribuunt philosophi, quos religiosos putant, primum proficiscamur. Deus, dicunt omnes, unus, simplex, immutabilis, æternus et immensus, intelligens et sapiens, omnia sciens, liber, omnipotens, justus et bonus, sanctus et beatus est. Epicurus autem innumerabiles deos habet, verum quamdam unitatem iis omnibus æternitate, beatitudine et perfectione æque præditis [3] tribuit. Anne simplices nunc sint singuli Dii in dubio est. Corporales enim esse debent qui neque sunt atomi neque ex atomis constant. Quod nunc spiritus puros nominamus esse non possunt. Epicurus eam rem ad virtutem beatitudinemque non pertinere putavit. Quem itaque dicere atheum non fas est. Si

[1] COUSIN, *Philosophie de Kant*, 6e leçon, p. 217 ; SAISSET, *Philosophie religieuse;* contra, P. JANET, *Causes finales*.

[2] Cf. præsertim Phædrum et Convivium, passim.

[3] *N. D.*, I, XXIX : Num etiam est una omnium facies ? Nam si plures, aliam esse alia pulchriorem necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si una omnium facies est, florere in cælo Academiam necesse est.

enim rem non aperuit, non reprehendendus certe quod quædam in Diis nos latere dixerit, quum nonnulli, etiam religiosissimi, Deum absconditum[1] coluerunt. Si contra Deos apud Epicurum corporales, scilicet non simplices esse contenderis, primum id non liquere confiteri cogeris, deinde omnes qui Deum corporalem fecerint aut aliquid corporale in eo posuerint atheos non habebis. Tertulliani enim opera legenti ea occurrunt : nihil enim, si non corpus. Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est (*de Anima*, 7; *de Carne Chr.*, 11). Quis enim negaverit deum corpus esse, etsi deus spiritus est? spiritus enim corpus sui generis in sua effigie (*adv. Prax.*, 7)? Origenem Deum fecisse corporalem contendit Hieronymus[2]. Eadem fere apud Justinum, Lactantium facile reperias. Augustinus etiam talia primum Christianos non severius damnavisse nos docere videtur : « Tertullianus ergo, sicut ejus scripta indicant, dicit immortalem quidem, sed eam (*animam*) corpus esse contendit, neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum : nec tamen hinc hæreticus creditur factus... sed quia, transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias, contra Apostolicam Doctrinam, tanquam stupra damnare, et postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit » (*de hæres.*). Si ad recentiores nunc transimus, nonnullos etiam easdem fere sententias protulisse reperiemus. Spinoza Deo vel Substantiæ, cogitationem extensionemque, inter multa alia, tribuit Deumque divisibilem, itaque non simplicem, fingere videtur. Atheum quidem eum diu dixerunt, plurimis ejus opera non legentibus, cujus quidem hodie de deo sententias confutare conantur. Quem atheum nullus fere, inter eos qui libero animo judicant, dicendum putat. Alius etiam inter maximos numeratus, Malebranchius, cui Spinoza « atheus, monstrum » fuit, ipse Deo « quamdam intelligibilem extensionem » tribuit, quæ rationem non multum dissimilem,

[1] Cf. PASCAL. *Pensées ;* RACINE, *Poème de la religion*, sub initio :
« Oui, c'est un Dieu caché que le Dieu qu'il faut croire. »

[2] Cf. Sti AUGUSTIN. *De Hæres.* passim.

ut dixit Mairan, philosophi quem ipse impium habebat, placitis reddit.

Proinde ii qui atheos habent neque eos qui Deum absconditum colunt, neque eos qui corpus Deo tribuerunt, Epicurum atheum dicere non poterunt.

Immutabiles etiam et liberos, æternos et sanctos, beatosque Deos fecit Epicurus, qui eos sensu et intelligentia præditos finxit, non omnia quidem scientes, quia nostræ libertatis servandæ causa eorum intelligentiæ modum imposuit. Quod idem fecerunt nonnulli, libertatem humanam cum divina præscientia conjungere volentes [1]. De Dei immensitate nihil protulit Epicurus, verum eam Dei esse affirmare non est sine aliqua difficultate, neque numeranda est inter ea quæ Dei essentiam constituunt.

Epicurus autem Deum omnipotentem et bonum esse, scilicet Creatorem et Providentiam negat ; hinc eum plerique Deum sustulisse putaverunt. Notandum illud, ante omnia, quod quidam philosophi pantheisticam vel dualisticam explicationem defendentes, creationem non admittunt. Quos quidem atheos declarare multi nolunt, nonnulla communia inter pantheistas deistasque primum videntes [2], deinde ad omnes fere antiquos philosophos qui materiam velut ac Deum habuerunt atheos ponendos repugnantes. Qui creatum a Deo mundum putant, ea affirmatione indicare volunt neque materiam æternam informavisse Deum, neque e sua ipsa substantia materiam hausisse ; verum quomodo Deus, quem aiunt *ex nihilo* mundum formavisse, materiam produxerit se non intelligere fatentur. Qui Deum creatorem esse negant, reprehendere possunt, eos autem habere atheos non debent [3].

[1] Cf. P. Janet, *op. cit.*, 312.

[2] Quod accuratius aperuit P. Janet, quum publice, nobis audientibus, Spinozæ placita exposuit.

[3] Cf. Bersot, *op. cit.*, 2. « Voici où nous nous séparons de M. Franck. Il n'admet pas que l'on croie réellement à Dieu, si on ne croit au Dieu créateur ; c'est exiger trop... Il ne nous paraît donc pas que la doctrine de la création soit assez claire, assez certaine, pour être mise au même rang que l'existence de Dieu, ni qu'il soit utile d'enchaîner ensemble ces deux vérités en sorte que l'une apporte l'autre ou l'emporte. » Cf. P. Janet, *Problèmes du* XIX*e siècle.*

Verum, aiunt, Providentiam Deorum tollit, quo facto, Deos ipsos tollit. Providentiam quidem negantes, unum ex præcipuis Deo tribuendis adimunt; quod etiam Deos imperfectos fingerent, non autem quod Deos tollerent, accusari possunt. Qui rerum cura Deum exonerant, ea objecta[1] vitant quæ nonnulli, Epicurum sequentes, e diversis malorum generibus per terras apparentium libertateque hominis cum Providentia difficillime concilianda, deduxerunt. Aristoteles etiam, divinæ perfectionis servandæ cupidus, Deum mundum ne cognoscere quidem voluit; Epicurus, ejusdem perfectionis servandæ causa, Diis mundi moderationem tantum eripuit, cujus placita simul atque Aristotelis placita increpare possunt, quem atheum habere non debent qui Aristotelem atheum fuisse non putant[2].

In summa igitur Epicurus qui Deos esse ingeniose probavit, qui Deos perfectos æternosque et beatos posuit, qui etiam nonnulla vulgo Diis attributa iis eripuit eo tantum ut eorum perfectio salva esset, quamvis ipse religiosissimis ita minus perfectos eos finxisse videri possit, inter eos qui Deos sustulisse habentur, ab iis qui placita attente et sine ira considerant, minime est numerandus.

Verbis autem, aiunt, Deos reliquit qui pium fuisse omnes fatentur, revera eos sustulit. Mirum quidem dictu! atheus habetur qui pie Deos ipse coluit discipulisque Deos pie colendos docuit! Eos igitur nonne solos Deum reliquisse ponemus qui Deos quidem esse dicant, nec vero eos unquam colant? Simulator tantum fuit, inquiunt : sed primum nobis videtur cum Gassendo dicendum esse : unus qui corda renesque scrutatur, scire id potest ac dicere. Quæ tamen ad id probandum proferantur accuratius perpendamus. Epicurus timuisse fertur ne, impietatis causa, damnaretur capitis Deosque, quos libentissime sustulisset, ut tranquille beateque Athenis viveret, esse tamen affirmavit. Quod quidem, nisi affirmandum, de iis tamen forte suspicandum est qui iis temporibus vitam agunt in quibus

[1] Quod Bayle et Leibnitz, Schopenhauer et Hartmann manifestum reddunt.
[2] Cf. Havet, i, 343 ; Ravaisson, *Essai sur la métaphysique d'Aristote*, ii.

omnes cives Deos colentes pieque colendos volentes, ad eos qui Deos nec colunt vel alio modo colunt, aut saltem minime aliter fingunt, accusandos et severius damnandos semper paratos se præbent. Id fecerunt fortasse nonnulli philosophi, quum Christianis omnino prævalentibus, quid cogitarent, nisi mortis periculum obeuntes, aperire nequirent. Longe autem dissimilis, Epicuro vivente, Atheniensium animus. Longius enim ostendimus [1] eo tempore cives, a Macedonibus victos, de Deorum potestate dubitavisse, Deosque simul et ipsos devictos quam minime pie coluisse. Athenienses, Demetrium Minervæ hospitem dicentes eumque Deum, utpote tunc pollentem, habentes, dicebant Deos fortasse non esse, vel nihil posse, vel etiam rerum humanarum nullam habere curam. Quæ etiam adolescentes canebant, audientibus omnibus Atheniensibus ; quæ probabat populus qui Demetrio Poliorceto obviam prodierat, quum Athenis scholam Epicurus fere aperiret. Quomodo autem Epicurum sicut impium damnare potuissent Athenienses, quum jam Elei Pyrrhonem Deos esse neque negantem, neque affirmantem, maximum pontificem eligerent, quum ipsi Deos patrios nihil valere, vel nullam curam rerum humanarum suscipere, vel etiam omnino non esse publice dicerent ? Qui etiam, Atheniensibus Deos pie colentibus, Deos non esse censuissent, sacra precesque patrias servare tantum debuissent quibus Deos novis quidem argumentis probare eosque perfectissimos concipere, omnibus ab eorum perfectione alienis remotis, nihil proficeret, nam Athenis [2] quid in intimo corde sentirent cives rarius quæsitum est ; quid facerent scire judicareque satis erat. Epicuro igitur qui Athenienses parum severos invenisset, si Deos esse negavisset, supervacuum Deos perfectos dicere pieque colere omnino esset. Ergo si Deos esse semper affirmavit, si argumentis sæpe adhuc adhibitis ad eos probandos

[1] Cf. supra, cap. II,

[2] Cf. C. MARTHA, *op. cit.*, 76 : « En Grèce, on pouvait se moquer des histoires fabuleuses sur l'origine des dieux, des opinions philosophiques sur leur nature, pourvu qu'on ne niât pas leur existence, qu'on ne brisât pas leurs statues ou qu'on ne révélât pas leurs mystères. Cf. de Archonte rege (HAUVETTE-BESNAULT) ; cf. FUSTEL DE COULANGES, 122, 197, 230-265.

usus est; si perfectos, æternos et beatos finxit, nihilque a perfectione alienum iis tribuendum monuit, si poetas philosophosque aliud dicentes vehementer increpuit, si Deos nullo metu, nulla spe inductus pie coluit, si magistri exemplum secuti sunt discipuli, si denique magistri discipulorumque pietas cum Mysticorum pietate conferri potuit, Epicurus inter eos qui Deos verbis reliquerunt, re autem sustulerunt, certe non est numerandus.

II

Epicuri igitur theologia ad invidiam detestandam ficta non videtur. Quod jam clarum, fiet adhuc clarius si Epicurus quanti theologiam faciat, attente quærimus.

Epicurus enim dialecticam contemnit, physiologiam vel philosophiæ partem physicam non discendam, nisi ad moralia spectantem putat. Ethicam igitur habuit totam philosophiam Epicurus qui Pyrrhonem fere simul ac Zeno secutus est. Cujus quidem rationes sæpius repetitæ accuratiusque expositæ sunt quam ut id denuo facere tentemus. Epicurus autem homines ad beate tranquilleque vivendum docendos sibi proposuit qui *ἀταραξίαν* a Pyrrhone commendatam assequi ipse voluit. In libro *περὶ αἱρέσεων καὶ φυγῶν* inscripto ita dicit : perturbationis dolorisque vacatio constantes sunt voluptates (*ἡ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί* D., x, 136). In ratis sententiis nullam per se voluptatem esse malum, sed malas esse qui perturbationem afferunt (141) ; justum a perturbatione remotissimum (*ἀταρακτότατος*), injustum plurima perturbatione plenum (*πλείστης ταραχῆς γέμων*) nominat (D. L., x, 144) ; subsistentem vero finem versare animo oportet, ait;.... alioquin omnia rationem judicii desiderabunt tumultuque plena erunt (*πάντα... ταραχῆς ἔσται μεστά*, 146), injustitiam per se malum non esse, verum in *suspicionis metu* id malum situm esse, ne forte non lateat eos qui sunt hujusmodi rebus consti-

tuti vindices (151). In epistola ad Menœceum bonam corporis valetudinem (ὑγίειαν) et animi perturbationum vacuitatem (τὴν τῆς ψυχῆς ἀταραξίαν), qui finis est beate vivendi, quærere jubet (128); nam, ut ipse addit, hujus gratia omnia agimus ut neque doleamus neque perturbemur (μήτε ταρβῶμεν). Quum dicimus voluptatem finem esse, ait, non luxuriosorum voluptates easque quæ in sensibus delectandis sunt positæ, ut quidam ignorantes et a nostra sententia dissentientes aut male accipientes arbitrantur, sed non dolere corpore animoque tranquillum esse (μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν) et perturbatione vacare dicimus (133), opiniones denique rejiciendas putat quæ animos perturbent (ἀφ' ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος, 132).

Ethicam itaque præsertim docere studuit Epicurus, qua summum bonum scilicet perturbationis vacuitas quæreretur.

Quomodo autem ad perturbationis vacuitatem accedere, Epicuro judice, possumus? Omnes qui Epicureorum placita attigerunt eorum theologiam negativam ad nos vel viventes, vel de iis quæ mortem sequuntur cogitantes, Deorum metu liberandos inventam fuisse viderunt; paucissimi autem theologiam eorum affirmativam ad eum finem forte potius adhuc quam negativam spectare perspexerunt.

Epicurus enim, Epistolæ ad Menœceum initio, quæ præcepta moralia breviter contracta continet, de diis loquitur, honesteque vivendi elementa discipulo se traditurum dicit : primum quidem, ait, deum esse animal immortale ac beatum putans, sicut communis de deo dictat intelligentia, nihil illi aut ab immortalitate alienum, aut a beatitudine applica : ceterum omne quod illius cum immortalitate beatitudinem servare possit, *de eo crede* (123). Primum igitur beate recteque vivendi elementum putat Deos ponendos perfectosque habendos. Eadem fere nobis ostendit prima ex ratis sententiis quæ Epicureorum *decalogum*, ut ita dicam, constituunt: Quod beatum atque immortale est, ait, neque ipsum negotia habet, neque alii exhibet, ut neque ira, neque gratia contineatur.....

Theologiam itaque ethicæ principium ponit Epicurus qui passim opiniones de diis cum moralibus præceptis conjungit :

felicitatem bifariam intelligi dicit, supremam illam quæ in deo est, quæ incrementum non admittat; aliamque in homine positam (121) ; hominemque omnibus præstantiorem esse putat qui primum de diis pie opinatur (133). Menœceum etiam monet, eum præcepta sua servantem, vitam acturum, sicut Deum inter homines, (ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις), nihil enim, addit, similem esse mortali animanti viventem hominem in immortalibus bonis (135).

Apud Lucretium eadem legere est. Deos fingit æternos summaque pace fruentes, dolore privatos et periculis (II, 646), sedesque eorum quietas

> Quas neque concutiunt venti neque nubila nimbis
> Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
> Cana cadens violat.....

introducit, nec ullam rem animi pacem tempore in ullo delibare profert (III, 14 sqq.) ; deinde sibi proponit homines id docendos

> Ut nil impediat dignam dis degere vitam;
> (III, 323.)

veram etiam pietatem eam habet quæ mage pacata potest omnia mente tueri (v. 1200). Quod etiam si contulimus cum eo loco :

> Nil dulcius est, bene quam munita tenere
> Edita doctrina sapientum templa serena. (II, 8 sq.)

certiores nos faciet Lucretium sapientem ad Deorum exemplar vitam regere voluisse.

Non alia quidem de theologia Epicuri cogitabit qui Ciceronem evolverit : Nos, ait Velleius, beatam vitam in animi securitate, et in omnium vacatione munerum ponimus ; deosque beatissimos habet Epicurus quorum imagines ad nos affluentes quæ sit beata et æterna natura nobis indicant. Dii enim nihil agunt, nullis occupationibus sunt implicati ; nulla opera moliuntur, sua sapientia et virtute gaudent ; habent exploratum se semper

fore quum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Quæ conferenda sunt cum iis quæ de sapiente alio loco dicit Torquatus (*de finib.*, I, 18) : nihil homini potest melius esse quam vacare omni dolore et molestia, perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus. Sapiens ab Epicuro (I, 19) semper beatus inducitur : finitas habet cupiditates, negligit mortem, de diis immortalibus sine ullo metu *vera* sentit ;.. his rebus instructus semper est in voluptate. Cicero etiam, quum Torquatum refellit, id manifestius reddit : « quid est igitur... cur semper deum Epicurus beatum appellet et æternum ? Dempta enim æternitate nihilo beatior Jupiter quam Epicurus, etc. » (II, 27). Quod Seneca et Stobæus verba Epicuri referentes, conciliare cum iis quæ citat Diogenes sinunt [1]. Panem et aquam natura desiderat ; nemo ad hæc pauper intra quæ quisquis desiderium suum clusit, cum ipso Jove de felicitate contendat, ut ait Epicurus [2].

Cotta etiam Velleium quum reprehendit apud Ciceronem idem indicat : « Nihil habet (Deus), inquit, negotii. Profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat... hæc oratio non modo deos spoliat motu et actione divina, sed etiam homines inertes efficit ; si quidem agens aliquid ne deus quidem esse beatus potest (XXXVII) » .. qui certiores Epicurum moralia postposuisse theologiæ nos facit.

In summa igitur Epicurus ad ethicam totam philosophiam reducit ethicaque theologiæ submittit. Quum quidem Deos naturæ rerum vel humanæ vitæ nunquam interesse dicit, ea rejicere vult quæ securitatem vel perturbationis vacuitatem homini auferre possent ; verum præsertim eo tendit, Deos perfectos [3], beatosque et æternos fingendo, ut exemplar nobis præbeat, quod sequi nitamur, ad nostram vitam in dies beatiorem honestioremque reddendam.

[1] Senec., *Ep. ad Luc.*, 25 ; Stobæus, *Flor.*, 17-30 ; cf. Plutarch. (nec poss. suav. viv., 15).

[2] Cicero Epicurum eamdem esse Deorum et hominum beatitudinem contendisse immerito dicit. Cf. quæ, Diogene auctore, de bifaria beatitudine retulimus, p. 125.

[3] Notandum est Ciceronem essentiam et attributa Deorum Epicureorum disjunxisse : nam præstantissimam naturam vel quia beata est, vel quia sempiterna, aptum esse videatur eamdem esse pulcherrimam (Cotta, I. XVIII).

Ad deos propius accedere conari debent omnes Epicurei qui Ethicæ tantum curas præbentes vitam perfectissimam, scilicet beatissimam rectissimamque aut Diis dignam agere student [1].

III

Deos igitur non solum revera retinuit Epicurus, verum exemplaria ad bene beateque vivendum præbuit, theologiam non solum bona fide exposuit defenditque, verum viscera philosophiæ, ut ita dicam, manifesto habuit. Quid autem ejus theologiæ proprium sit, nunc quærendum.

Epicurus primum de iis quæ argumentis ab ipso ad deos probandos adhibitis objici possent minime curat. Consensionem omnium gentium vocat, verum unde eam cognosci possit non quærit, quid etiam iis qui Diagoræ Protagoræque exempla proferunt respondendum sit invenire minime ipsi est curæ. Quomodo autem simulacra quæ e Diis mittuntur ex iis discernere possit quæ, velut hippocentaurorum simulacra, sponte in aere gignuntur, omittamus, nam ea difficultas non solum ad Deorum simulacra, sed etiam ad omnia simulacra e rebus missa pertinet.

Ad Dei essentiam veniamus. Deos perfectos, id est æternos, beatos et pulcherrimos dicit. Quod quidem affirmat, probare autem non nititur. Id de Diis scire Epicuro satis est ut deos pie colat, nam venerationem habet justam quidquid excellit. Discipulis quidem plura quærentibus, Deorum formam et vitam et

[1] Eadem dicunt : Lange, *Gesch. des Mater.*, I, 93 : « Ses dieux insouciants et exempts de douleur personnifiaient en quelque sorte le véritable idéal de sa philosophie. » C. Martha, *op. cit.*, 6 : « Epicure fit de la vie divine comme un idéal de la vie humaine » ; 335 : « la Théologie est le cœur du système où toute l'énergie s'est ramassée » ; 364 : « La sagesse nous procure, selon Epicure, une vie semblable à celle des dieux. » — Crouslé, *op. cit.* p. 211 : « La vie des dieux de Lucrèce est l'insensibilité parfaite et c'est aussi l'idéal que le sage Epicurien se propose, qu'il le sache ou non » (quid in eo judicio non admittendum nobis videatur, jam supra ostendimus). » — C. Ravaisson, *Essai sur la Métaphysique d'Aristote*, II.

actionem mentis, atque agitationem breviter describit. Quæ omnia ad aures satiandas, non ad deos magis pie colendos vel ad vitam melius degendam pertinere putat. De iis igitur quæ adversarii objicere possunt, minime curat. Speciem humanam Deorum esse putat qui tamen poetas philosophosque Diis affectus humanos tribuentes vehementer increpaverit. Verum Deos ita qui fingit eorum perfectioni nihil adimit eaque igitur quæ adversus eam formam, velut sine causa pulcherrimam habitam, dicuntur, refellenda vel etiam examinanda non putat : omne, ait, quod cum immortalite beatitudinem servare possis, *de eo crede,* περὶ αὐτοῦ δόξαζε (D., x, 123).

Dii etiam nec corporales nec incorporales apud Epicurum esse possunt, nam utrinque beatitudinem et æternitatem, scilicet perfectionem perderent. Epicurus quidem iis tribuit *quasi corpus*, *quasi sanguinem*. Quod ceteris placitis minime aptum quum explanare tentat, eo modo id facit ut, *hæc acutius inventa subtiliusque ab Epicuro dicta*, *quam ut quivis ea possit agnoscere* inveniant discipuli (*N. D.* I, XVIII. *cf.* p. 77). Qua quidem de re non curat Epicurus : Deos ita servat perfectos ; *quasi corpus* et *quasi sanguinem*, quamvis cum atomorum doctrina difficillime congruant, recipit Epicurus magistrumque sequentes recipiunt Epicurei : omne, enim, quod cum immortalitate beatitudinem servare possis, *de eo crede*.

Deos in intermundiis locat Epicurus. Quomodo autem loci esse possint quos non transeunt atomi, quomodo contra simulacra ex intermundiis ad nos veniant, non quærit Epicurus. Dii enim intermundia habitantes æterni beatique linquuntur : quid plura? omne quod cum immortalitate beatitudinem servare possis, *de eo crede*, dicet Epicurus.

Mundum autem creatum ordinatumque sine opera divum putat Epicurus. Quod quidem plures difficultates etiam insuperabiles, nonnullis judicantibus, præbet, verum quidam eadem hodie scientiæ addicti proferunt ; Epicuro igitur quid de ea re objiciendum sit non referemus.

Ad summam, nullum philosophum reperias qui de diis loqui sumat et clariores reddere sententias non conetur, simul at-

que objecta adversariorum refellere tentet. Epicuri igitur theologia rationibus e philosophia pendentibus non sedet. Credentes enim, non philosophi, fidem invocare solent.

Quod manifestius fiet nobis quomodo cum Diis egerit Epicurus denuo examinantibus Philosophi quidem, argumentis quæ de diis probandis objici possunt videntes, Deorum notionem potius quam Deos ipsos colendos curare solent. Epicurus autem Deos pie colit. Eos enim habet perfectos eorumque perfectionem contemplatur, atque sicut quidam hodierni *devoti*[1] eam continuo meditatur. Eos habet beatos eorumque beatitudinem miratur obtinendamque sibi proponit. Eos habet æternos atque per omne ævum beatam degentes vitam atque hominibus miserrimis simulacra semper mittentes seque iis colendos semper præbentes libentissime videt. Eos tandem habet pulcherrimos atque eorum simulacra, pictoris instar qui quasdam tabulas bene pictas vel sculptoris qui pulcherrima signa primum delectatus videt, noctes diesque lætitia effusus considerat. Nihil aliud in Diis perspicere vult : beatior quam amantes qui corporis pravitatem emendandam putant, eam autem emendare non possunt, beatior quam artifices qui materiam ad pulchritudinis perfectam speciem fingendam indocilem inveniunt, Epicurus Deos habet qui formam undique expletam et perfectam, virtutis beatitudinisque eminentes effigies, absolutam denique perfectionem contemplandam et imitandam colendamque semper ipsi præbent. Eos igitur qui tamen nihil boni malive nobis mittere possunt, non solum precibus sacrisque patriis, verum etiam summa voluntate et amore pie colendos habet, eoque melius eos adorat ut, objectis omissis, nihil quod summam eorum perfectionem minuere possit Diis tribuat.

Proinde hæc omnia, non philosophi qui rationem invocet, verum potius religiosi qui aliquam fidem sequatur, esse videntur.

Religionis enim potius quam philosophiæ conditoris perso-

[1] Lucretius et Pascalis apud Martha conferuntur, p. 325. Cf. Senec. ad Luc. 28 et 10 : « Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus : initium est *salutis* notitia peccati... Iste homo non est unus e populo, ad *salutem* spectat. »

nam præbere nobis videtur Epicurus. Cujus Athenis docentis comites sunt peregrini, feminæ, etiamque servi (*cf.* p. 49). Quod certe proprium est omnium qui novam religionem introducere nituntur [1].

Discipuli etiam magistri placita, non examinanda, verum credenda accipiunt. Deum ipsum habent Epicurum [2] qui vere divina; invenit quæ ipse affirmat, affirmant; quæ non refellenda putat, non refellenda ipsi habent. Nulla etiam, per multa sæcula, hæresis in schola apparuit. Quod nunquam apud philosophos rationem invocantes, raro etiam apud religionis sectatores reperire est.

Discipulorum denique cœtus frequentes feriis religiosis simillimi apparent; Musica etiam sæpius adhibetur [3] quam animos ad delectandos atque ad Deorum cultum concitandos aptam putaverunt omnes qui religionem condere novam studuerunt.

Non igitur atheus habendus est Epicurus, qui Deos esse affirmavit eosque pie coluit atque pie colere discipulis commendavit, quum Athenienses Deos colendos non putantes ipsum damnare nunquam potuissent. Imo contra Epicurum, qui perfectionem Deorum præsertim servandam putavit, qui de adversariorum objectis non curavit, qui Deos hominibus exemplaria statuit theologiæque ita subjungit Ethicam, quum omnem philosophiam ad Ethicam reduceret, qui, religiosissimorum etiamque mysticorum instar, nulla spe nulloque metu inductus, Deos adoravit, qui discipulos habuit sua placita minime pugnantes Deosque fideliter pieque colentes atque magistrum ipsum, sicut fere ac deos, adorantes, potius novæ religionis conditorem habebunt omnes qui attente legerint ea quæ longius exposuimus [4]. Simillimus enim videtur iis qui religionem con-

[1] Foucart, *Des Associations religieuses chez les Grecs*, 5 : « Les thiases et les éranes étaient ouverts aux femmes, aux étrangers, aux personnes de condition ou d'origine servile. »

[2] Cf. supra, p. 15. Itaque Mahomet fere sicut Deus ipse colitur ; Swedenborg etiam novam religionem condidit.

[3] Cf. Quæ de Philodemo retulimus, p. 16.

[4] C. Martha, *op. cit.*, 10 : « Il semble qu'Epicure ait eu le dessein prémédité de fonder une sorte de religion, si on peut donner ce nom à une doctrine sans

dere valuerunt : acrius eos increpat qui Deos aliter quam ipse fingunt, Diis ea tribuit quæ perfectissima putat, verum iis qui contraria dicunt, nihil, nisi « credo, quia ea cum immortalitate beatitudineque Deorum servare possum », respondendum affirmat; Deos, devotissimi instar, contemplatur et adorat; ipseque Deus est apud discipulos qui placita sicut divina atque a Deo translata continuo servant.

dieu ou du moins sans culte (de quo vide supra, p. 103 sqq.). Ce n'est pas une simple école, c'est une Eglise profane avec des dogmes indiscutables, avec un enseignement qui ne change jamais et entourée d'institutions qui assurent la docilité des adeptes et protègent la doctrine contre les innovations » ... 343 : « L'école organisée comme une Eglise avec des dogmes fixes et une sorte de conclave. » — 240 : « N'avons-nous pas le droit de comparer l'école épicurienne à un couvent? » Cf. Havet, *op. cit.*, I, 352, 355, II, 110 ; cf. Crouslé, *op. cit.*, 69. « Epicure, le fondateur et le dieu d'une sorte de religion nouvelle, qui consistait dans la négation passionnée de toute religion... Ils formaient, en réalité, une petite Eglise, mais une Eglise de matérialistes et d'athées .» Quod deinde dicit Crouslé, 144, « Ils accordent l'existence aux dieux à titre gratuit. Mais pourquoi les gratifier de l'immortalité, puisque toutes les créatures, sans en excepter le monde, sont mortelles ? C'est ici qu'ils paraissent se moquer du lecteur » explanare est non difficile, si Epicurum religionis potius quam philosophiæ conditorem habeamus. Certe non dicendum est religionem eo magis homines allecturam quo magis absurdam eam fingant conditores ; verum religio e philosophia proprie discernitur. (Renan, *Nouvelles études d'histoire religieuse*), quod quædam abdita relinquit et relinquere vult et quædam ratione non percepta vel etiam rationis expertia maxima cum fide credit vitæque regulam ponit.

CONCLUSIO

EPICURUS NOVÆ RELIGIONIS FUIT CONDITOR.

Theologiæ Epicureæ fontes longius inspeximus : quæ reliquit de diis Epicurus, quæ attulerunt ejus discipuli, quæ etiam alii philosophi ad Deos Epicureos pertinentia, indicavimus et perpendimus.

Quæ deinde apud vulgus atque philosophos priores ad theologiam Epicuri constituendam prodesse potuerint quæque ad eam constituendam revera profuerint, accuratius requisivimus. Epicuri theologiam tunc ipsam aggressi sumus.

Deorum notionem innatam vel potius insitam in hominum animis censet, Deosque esse consensione omnium, unus ex primis, argumentoque quod hodie dicunt ontologicum primus probavit.

Deos præsertim perfectos esse statuit ; quæ cum eorum perfectione congruunt iis tribuit : Dii æterni, beatique et pulcherrimi sunt ; quæ ad eos perfectos reddendos necessaria putavit, ea, quamvis ratione minime accepta, de diis firmavit probareque non curavit : Dii specie humana præditi sunt atque intermundia habitant ; quæ ad eorum perfectionem non attinent neque affirmavit neque negavit ; Deos corporales nec incorporales aperte fecit. Quæ denique divinæ perfectioni repugnant omnino sustulit Epicurus : Dii neque atomos creaverunt, neque mundum formaverunt, neque eum regunt, neque rebus humanis unquam interveniunt. Quos tamen nobis neque prodesse, neque nocere valentes, primus vel quidem unus inter primos,

gratuitus, nulla spe, nulloque metu inductus, propter perfectionem, pulchritudinemque et beatitudinem, mysticorum instar, pie coluit eosque pie colendos discipulis commendavit.

Epicurus igitur neque impius habendus est neque atheus. Deos enim esse affirmavit quum Athenienses Deos vel non esse, vel nihil valere, vel res humanas non curare profitentes, philosophum non damnavissent qui eadem locutus esset. Non solum Deos tum re quum verbis reliquit Epicurus, verum etiam philosophiam omnem ad Ethicam reduxit, theologiamque Ethicæ principium posuit.

Proprium autem theologiæ Epicureæ nobis esse videtur, inventorem sæpissime fidem, rarius rationem invocavisse, Deosque plus etiam corde quam mente coluisse, et Athenas, novi cultus conditorum instar, intravisse, atque eum fideles, « magistri jurare in verba addictos », non discipulos per se aliquando cogitantes habuisse, qui magistrum simul ac Deos ab eo fictos adorant, *ecclesiam*que potius quam *scholam* constituunt.

Epicurus igitur non tam philosophus quam novæ religionis conditor est habendus [1].

[1] Scriptum Ludovici Carrau (*Revue des Deux-Mondes*, août 1888), quod eorum quæ conclusimus plurima confirmat, legimus quum nostrum opus, jam a longinquo tempore confectum, typis mandaretur — Eadem dicemus de *Pauli Rusch* opere, Lucretius und die Isonomie, Jahrb. f. cl. Philolog. 32, 1886.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. 6 idus jun. ann. MDCCCLXXXV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.

INDEX

VERSALIIS. — EX TYPIS CERF ET FILII, 59, VIA DICTA DUPLESSIS.